

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVIII - N. 1

1996

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM COUNCIL
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 1996

Semestrale

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
Messaggio all'Em.mo Card. William W. Baum, Penitenziere Maggiore	8
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui Symposio « <i>Evangelium Vitae</i> » e <i>Diritto</i> interfuerunt	13

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	18
Symposium Internationale « <i>Evangelium Vitae</i> » e <i>Diritto</i>	20

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XV)	33
Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XVI)	71
Notitiae	166
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	167

II

COETUS STUDII
«DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

Sessio XVI

(dd. 6-9 maii 1974 habita)

Diebus 6-9 maii 1974 locum habuit, in Aula huius Pontificiae Commissionis, XVI^a Sessio Coetus studii «De Institutis perfectionis». Sub praesidentia Em.mi Card. P. Felici, Commissionis Praesidis, aderant sex Exc.mi, novem Rev.mi, atque Ill.mus unus Consultores, et Rev.mus P. Said, qui munere Relatoris functus est.

Aberant, legitime impediti, duo Exc.mi Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis.

Ineunte Sessione, Em.mus Card. Praeses salutem adstantibus dicit et rogit deinde Rev.mum Relatorem ut summatim quaestiones exponat de quibus hac in Sessione agendum est. Eae quaestiones, quae prostant in Relatione introductiva (cf. Adnexum II) quam prae manibus omnes Consultores habent, sunt sequentes:

- 1) de Institutis saecularibus;
- 2) de dependentia Institutorum perfectionis ab Ecclesiastica Auctoritate;
- 3) de mutationibus, praesertim terminologicis, quae in Schema introducenda a parvo Coetu proponuntur.

Expositione Relatoris facta, incipit disceptatio de singulis quaestioni bus propositis.

I. DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

Praemittit Rev.mus Relator solummodo tres canones apparatus esse, quia Institutis saecularibus, uti patet, applicantur omnes canones primae partis Schematis, qui quidem communes sunt omnibus formis Institutorum perfectionis. His vero in canonibus traduntur tantum ea quae valent

pletam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt»;

3) in eadem § 1 possunt tolli verba «et propriam», quia in supradicta emendatione iam proponitur ut dicatur «in saeculo».

Respondet Rev.mus Relator Instituta «assumere» consilia evangelica, sodales vero ipsa «profiteri».

Insistit tamen Exc.mus primus Consultor super necessitate affirmandi veram et completam professionem haberi in Institutis saecularibus, sicut clare docetur etiam a Concilio Vaticano II.

His dictis accedunt alii Consultores.

Exc.mus secundus atque Ill.mus septimus Consultores postulant ut dicatur «per assumptionem trium consiliorum in saeculo profitendorum»; Rev.mus octavus Consultor suggerit: «Instituta saecularia, quorum sodales tria consilia evangelica aliquo sacro vinculo firmata in saeculo profitentur, veram et...».

Exc.mus secundus Consultor desiderat ut, loco «et propriam», dicatur «et completam», uti habetur in Decr. *Perfectae caritatis*, n. 11.

His dictis accedit Exc.mus primus Consultor.

Quoad § 1: Exc.mus primus Consultor animadvertisit melius esse ut affirmatio primae sententiae fiat modo magis directo, scilicet: «Sodales horum Institutorum actuositatem apostolicam, in saeculo et ex saeculo, exprimunt et exercent...».

Objectionem movet Exc.mus nonus Consultor quoad verba «vitae temporalis rationem christifidelibus communem servant», quae non valent pro membris sacerdotibus.

Respondet Rev.mus Relator sodales sacerdotes esse clericos saeculares, et in textu verba «vita temporalis» intelligenda esse eodem sensu ac «vita saecularis». Objectioni vero accedit Exc.mus primus Consultor, qui existimat talia verba esse confusa ac praeterea nihil novi addere, cum iam prius dicatur «in saeculo et ex saeculo», quapropter ipsa expungi possunt.

Exc.mus tertius Consultor censem clariorem fieri sententiam si dicatur: «exercent in saeculo et e saeculo exprimunt».

Exc.mus decimus Consultor accedit ad sententiam Exc.mi primi Consultoris quia indoles saecularis omnia attingit, quapropter hanc proponit redactionem § 2: «Sodales qui in saeculo et ex saeculo vitam consecratam et actuositatem apostolicam exprimunt et exercent».

Rev.mus undecimus Consultor duas proponit emendationes:

1) loco «vita temporalis» dicatur «externa vitae ratio»;

2) in fine § 2 addatur: «... satagant, firmis tamen clericorum obligationibus si qui eorum tales sint».

Rev.mus quartus Consultor haec suggerit: 1) in § 1 dicatur «per professionem trium consiliorum evangelicorum»; 2) textus § 2 modo directo agat de actuositate apostolica in saeculo et ex saeculo; 3) in eadem § 2, expungantur verba «vitae temporalis ... servant», quia ideae iam continentur in verbis «in saeculo et ex saeculo» et periculosa sunt si ad clericos referatur, nostris praesertim temporibus.

Ill.mus septimus Consultor sequentia proponit: 1) in § 1 dicatur «in saeculo profitendorum» si servantur verba «per assumptionem»; 2) in eadem paragrapho dicatur: «veram et peculiarem formam vitae consecratae»; 3) § 2 sic incipiat: «Sodales, qui in saeculo et ex saeculo propriam consecrationem in actuositatem apostolicam exprimunt et exercent...».

His omnibus pree oculis habitis, sequentia quaesita suffragationi submittuntur:

Quoad § 1: 1) Utrum placeat textus propositus uti iacet:

Placet: 6. Non placet: 8.

2) Utrum placeat textus propositus cum sequentibus emendationibus: «Instituta saecularia, per *professionem* trium ... veram et *completam* formam vitae consecratae in Ecclesia constituunt».

Placet: 11. Non placet: 3.

3) Utrum dicendum sit: «... per professionem *in saeculo* trium...».

Placet: 9. Non placet: 5.

4) Utrum placeat sequens textus emendatus: «Instituta saecularia, per professionem in saeculo trium consiliorum evangelicorum aliquo sacro vinculo firmatam, veram et completam formam vitae consecratae in Ecclesia constituunt:

Placet: 12. Non placet: 2.

Quoad § 2: 5) Utrum placeat textus propositus:

Placet: 1. Non placet: 12.

6) Utrum placeat sequens formula: «Sodales horum Institutorum in saeculo et ex saeculo propriam consecrationem in actuositate apostolica exprimunt et exercent...».

Placet: 13.

7) Utrum placeat ut tollantur verba: «vitae temporalis... servant»:

Placet: 11. Non placet: 2.

8) Utrum placeat sequens textus: « ... atque, ad instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuere satagunt ».

Placet: 13. Non placet: 0.

9) Utrum placeat redactio totius paragraphi, quae sic sonat: « Sodales horum Institutorum in saeculo et ex saeculo propriam consecrationem in apostolica actuositate exprimunt et exercent atque, ad instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuere satagunt ».

Placet: 13. Non placet: 0.

Textus ergo emendatus huius canonis ita manet approbatus:

« § 1. Instituta saecularia, per professionem in saeculo trium consiliorum evangelicorum aliquo sacro vinculo firmatam, veram et completam formam vitae consecratae in Ecclesia constituunt.

§ 2. Sodales horum Institutorum in saeculo et ex saeculo propriam consecrationem in actuositate apostolica exprimunt et exercent atque, ad instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuere satagunt ».

Can. secundus

Hic est textus propositus:

« § 1. Haec Instituta lege vitae communis non tenentur nec signa externa consecrationis habent sodales.

§ 2. Statuta cuiusque Instituti, attentis peculiari eorum vivendi ratione necnon saecularitate eis propria, observantiam consiliorum evangelicorum apte determinent et eorum sensum et obligationes definiant ».

Quaerit Exc.mus nonus Consultor utrum Instituta saecularia vitam communem habere possint necne, etsi, uti dicitur in canone proposito, non teneantur.

Alii Consultores affirmative respondent.

Exc.mus secundus Consultor mavult ut quaestio de vita communi remittatur ad ius particulare.

Ill.mus septimus Consultor expedire existimat ut affirmetur indeles non obligatoria vitae communis, quia haec est distinctio fundamentalis cum aliis Institutis perfectionis, quae tenentur quidem hac lege, licet id profecto non excludat ut quibusdam in Institutis saecularibus, atque in ge-

nere quibusdam in adjunctis, aliqua forma vita in communi habeatur. Praeoptat quoque Ill.mus ut hoc in canone ponantur verba deleta in canone praecedenti, nempe «vitae temporalis rationem christifidelibus communem servant».

Fit suffragatio, utrum canon componendus sit iuxta proposita elementa. Exitus est:

Placet: 14. Non placet: 0.

Proponit igitur Relator sequentem redactionem:

«Haec Instituta lege vitae communis (obligatione in communi vivendi) non tenentur nec signa (externa) consecrationis habent sodales (habere tenentur, gestare obstringuntur sodales) qui, iuxta propriam cuiusque conditionem, vitae (externae) tenorem christifidelibus communem servant».

Duae paragraphi, quibus praecedens canonis redactio constabat, divisa nunc sunt in duos canones diversos, ad mentem Exc.mi primi Consultoris, quod omnibus placet.

Uti animadvertisit Card. Praeses, Instituta saecularia non tenentur lege vitae communis canonicae, sed per hoc minime excluditur quaedam forma vitae in communi quibusdam in Institutis vel omnibus in Institutis quibusdam in casibus.

Fiunt ergo suffragationes quoad primam sententiam propositam, scilicet: «Haec Instituta lege vitae communis non tenentur». Exitus est:

Placet: 9. Non placet: 5.

Quoad secundam possibilitatem propositam nempe: «Haec Instituta obligatione in commune vivendi non tenentur»:

Placet: 5. Non placet: 9.

Quoad verba «nec signa externa consecrationis habent sodales», Exc.mus primus Consultor mavult ut totalis prohibitio non fiat, quia non nullis in casibus (in domibus, vel in ecclesiis, etc.) sodales deferre possunt quaedam signa.

Accedunt Exc.mi nonus, sextus et alii Consultores.

Proponitur ergo sequens textus, qui placet omnibus Consultoribus: «neque ullum consecrationis signum deferre adstringuntur sodales».

Circa ultimam partem propositi textus («qui iuxta propriam cuiusque conditionem vitae externae tenorem christifidelibus communem servant»), animadvertisit Rev.mus duodecimus Consultor se praeoptare ut, loco «vita externa» dicatur «vita temporalis», quia temporalis opponitur spirituali.

Animadvertisit tamen Em.mus Praeses difficultatem manere, quae facta est pro sacerdotibus.

Exc.mus sextus Consultor mavult ut dicatur «in temporalibus christifidelibus *conveniens* servant», ut vitentur abusus qui oriri possunt ex erronea interpretatione verbi «communem».

Exc.mus nonus Consultor suggesterit ut ultima verba canonis propositi ponantur in initio, quia sic textus incipit modo affirmativo, ac deinde venit pars negativa.

Postulat Exc.mus primus Consultor ut can. 3 ponatur ante can. 2, quia in can. 2 quaedam ponuntur determinationes quoad res externas.

Exc.mus sextus Consultor suggesterit ut can. 2 fiat § 3 can. 1, quia sic omnia elementa in unum cohaerent. Eae tamen mutationes ordinis ab aliis Consultoribus non recipiuntur, quia non videntur necessariae.

Exc.mus tertius Consultor difficultatem denuo admovet contra verba «vitae in temporalibus rationem christifidelibus communem servant», quae verba non bene aptantur clericis; suggesterit ergo ut dicatur «congruentem», loco «communem». Sed, ut animadvertisit Em.mus Praeses, difficultas adhuc manet.

Denique proponit Rev.mus octavus Consultor sequentem redactionem, quae omnibus placet: «qui in temporalibus vitae rationem christifidelibus congruentem iuxta propriam cuiusque conditionem servant».

Textus ergo can. 2 approbatus sic sonat:

«Haec Instituta lege vitae communis non tenentur neque ullum consecrationis signum deferre obstringuntur sodales, qui in temporalibus vitae rationem christifidelibus congruentem iuxta propriam cuiusque conditionem servant».

Can. tertius

Sic sonat textus qui a Relatore proponitur:

«Ius particulare Institutorum, attentis peculiari eorum natura et vivendi ratione necnon saecularitate eis propria, observantiam consiliorum evangelicorum apte determinet et eorum sensum atque obligationes definiat».

Exc.mus nonus Consultor desiderat ut mentio fiat de specificando sacro vinculo.

Respondet tamen Rev.mus Relator id iam contineri in verbis «observantiam ... determinet».

Quaerit etiam Exc.mus nonus Consultor quid significant verba «et eorum sensum».

Respondet Relator per haec verba indicari necessitatem definiendi utrum haec obligatio oriatur ex voto, an ex iure iurando, etc. Objectionem tunc movet duodecimus Consultor, qui in mentem revocat canones praeliminaires secundae partis Schematis (cf. can. 91-92), qui de eadem re agunt. Huic animadversioni accedunt quoque Exc.mus sextus, Rev.mus tertius decimus et alii Consultores.

Placet ergo ut deleantur verba «et eorum sensum», quia superflua videantur.

Rev.mus duodecimus Consultor suggerit ut loco «observantiam» dicatur «proxim».

Rev.mus octavus Consultor postulat ut dicatur «cuiuslibet Instituti» loco «Institutorum».

His attentis Relator hanc emendatam redactionem proponit, quae omnibus placet:

«Ius particulare cuiuslibet Instituti, attentis peculiari eius natura et vendi ratione necnon saecularitate eidem propria, obligationes et proxim consiliorum evangelicorum apte determinet atque definit».

Can. quartus (antea tertius)

Textus propositus ita sonat:

«§ 1. Instituta saecularia sunt clericalia vel laicalia.

§ 2. Sodales clericorum horum Institutorum, qui ante cooptationem definitivam in aliqua dioecesi incardinationem habebant, eam retinent et dependentiam in apostolatu exercendo a proprio Ordinario loci servant; de ceteris vero clericis his Institutis inscriptis provideat ius particulare».

Quoad § 1: Memorat Exc.mus nonus Consultor Instituta saecularia etiam mixta adesse, ratione personarum seu membrorum.

Rev.mus Relator animadvertisit pro Institutis saecularibus, sicut pro omnibus Institutis perfectionis, adhibendam esse fundamentalem distinctionem iuridicam quae statuta iam est in can. 5 primae partis Schematis generalis, scilicet: «Institutum clericale dicitur quod, vi iuris particularis, exercitium ordinis sacri assumit et uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur». Secus Institutum dicitur laicale.

Proponit Exc.mus secundus Consultor ut adhibeantur verba «clericorum vel laicorum», quae habentur in Art. I Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia*. Censet tamen Rev.mus duodecimus, cui et alii Consultores accedunt, servanda potius esse verba «clericalia vel laicalia», quia sunt magis technica et quia uniformitas servanda est in terminologia iuridica.

Nulla alia fit animadversio.

Quapropter sequentia quaesita suffragationi submittuntur:

1) Utrum § 1 manere debeat necne in hoc canone:

Placet: 13. Non placet: 2.

2) Utrum § 1 manere debeat sub hac formula: «Instituta saecularia esse possunt clericalia vel laicalia»:

Placet: 15. Non placet: 0.

Quoad § 2: Exc.mus primus Consultor censet expositionem factam in § 2 non esse completam, quia adsunt Instituta saecularia, etiam interdiocesana et internationalia, quae habent ius sibi adscribendi seu incardinandi clericos, et alia quoque Instituta pro quibus multi Episcopi ex toto orbe nuper postularunt ut eisdem eadem possilitas incardinandi clericos a Sancta Sede concedatur. Sunt enim Instituta quae hac possilitate indigent. Quaestio non est theoretica sed realis.

Discussio fit circa notionem saecularitatis clericorum eiusque relationem cum incardinatione. Ad mentem Exc.mi decimi Consultoris, saecularitas requirit incardinationem clericorum in aliqua dioecesi seu Ecclesia particulari.

Eamdem sententiam tenet Rev.mus duodecimus Consultor.

Animadvertisit tamen Exc.mus primus Consultor notionem etiam theologicam saecularitatis latius patere quam factum iuridicum incardinationis; quapropter saecularitas clericorum identificari non potest cum incardinatione in dioecesi.

Exc.mus secundus Consultor existimat clericum unam tantum habere debere incardinationem seu adscriptionem vel in dioecesi vel in Instituto.

Exc.mus tertius Consultor refert de quodam Instituto, cuius clerici ab Episcopis postulant incardinationem in aliqua dioecesi, sed postea dedicantur plene ad servitium Instituti.

Instat Exc.mus decimus Consultor super convenientia servandi incardinationem in dioecesi post cooptationem in Institutum, etiam ut vitetur periculum duplicitis oboedientiae, ad Episcopum nempe et ad Moderatorem Instituti.

Huic necessitati accedit Exc.mus primus Consultor, qui tamen sequentia obicit:

1) in bonum totius Ecclesiae oporteret ut Instituta possilitatem quoque habeant incardinandi clericos, qui constituant nucleum centrale sacerdotum;

2) sermo de periculo sic dictae «duplicis oboedientiae» prius factus est, quoad clericos Institutorum in dioecesi incardinatos, sed hoc periculum a Sancta Sede vitatur per oportunas normas, quae in approbandis constitutionibus includuntur;

3) subiectio Episcopo debita non residet tantum in facto incardinatio-
nis, haud enim semel qui non sunt incardinati oboedientiores Hierarchiae
se praebent.

Manifestat Em.mus Praeses sibi videri canones componendos non de-
bere esse rigidos, attentis etiam fructibus Institutorum saecularium, qui
sunt boni.

Iuxta Rev.mum Relatorem, si Institutum saeculare sit clericale manet
sub dependentia Episcopi dioecesani.

Respondet tamen Exc.mus primus Consultor id verum quidem esse si
Institutum saeculare sit tantum iuris dioecesani, et esse pariter verum, sed
alio diverso modo, si Institutum sit iuris pontificii.

Exc.mus sextus Consultor censet quaestionem dupliciter considerari
posse:

a) theoretice, quo sub respectu concordat cum Exc.mo decimo Con-
sultor;

b) practice, qui aspectus prae oculis etiam habeatur oportet cum de iu-
re condendo agitur; si dicatur quod clerici horum Institutorum pendent in
omnibus ab Episcopo, iis exceptis quae consiliorum proxim respiciunt, for-
mula videri potest optima, sed in praxi magnas difficultates secum fert
(etiam quia sunt ambitus legitimae authonomiae pro clericis saecularibus:
ex. gr. quoad pietatem personalem, regimen oeconomicum, vitam intellec-
tualem, etc., servatis utique obligationibus status clericalis). Res nondum
est omnino matura, quia revideri debet ipse conceptus dependentiae ab
Episcopo. Praeterea formula quae adhibeatur valere debet pro omnibus In-
stitutis saecularibus, quae quidem sunt sat diversa.

Rev.mus duodecimus Consultor censet Instituta saecularia ea solum-
modo esse debere quorum clerici dioecesis incardinantur, aliae vero in-
stitutiones, quae habent ius sibi incardinandi clericos, diversum statutum
iuridicum inveniant, intra vel extra legislationem Institutorum perfectio-
nis; fiant ex. gr. Societas vitae communis, vel Associationes clericales cum
peculiari statuto, etc.

Exc.mus primus Consultor refert Summum Pontificem constituisse pec-
uliarem Commissionem pro Institutis saecularibus, quae, post labores per

duos annos et sex menses protractos, textum conclusivum redigit et approbavit, qui Summo Pontifici transmissus est. Secretaria Status nuper patefecit desiderium Summi Pontificis ut talis textus prae oculis habeatur a competentibus Dicasteriis Curiae Romanae. Opportunum ergo existimat Exc.mus sententiam legere ex huiusmodi documento:

« È stata posta la questione sulla relazione tra secolarità e diocesaneità. Il problema è complesso e richiede ulteriori approfondimenti. Bisogna comunque tener conto che il Concilio ha messo in risalto, assieme alla collegialità dell'episcopato, l'universalità del dono spirituale che i presbiteri ricevono nella loro Ordinazione (cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10), nonché il fatto che la prima e fondamentale relazione dei presbiteri coi vescovi è quella di essere cooperatori dell'Ordine episcopale (cf. Cost. dogm. *Lumen gentium*, n. 28; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 2 e 7). Un Istituto secolare sacerdotale non può voler altro che rinforzare questa relazione fondamentale — sia a livello universale che a livello locale —, e dovrà sempre condurre i suoi membri ad una stretta collaborazione con il Collegio episcopale, e soprattutto con il suo capo, il Sommo Pontefice, come pure con il Vescovo della diocesi in cui detti sacerdoti esercitano il loro ministero sacerdotiale.

Tuttavia ci si è chiesto se si poteva identificare secolarità e incardinazione ad una diocesi. Tra gli Istituti e tra gli autori le opinioni sono diverse: una tendenza vuol equiparare per i sacerdoti secolarità e dioecesaneità, intesa quest'ultima come incardinazione ad una diocesi territoriale, con conseguente dipendenza diretta ed immediata, almeno riguardo al ministero, dal rispettivo vescovo diocesano; tale incardinazione si considera imprescindibile per la secolarità presbiterale; altri invece sostengono che secolarità, dioecesaneità ed incardinazione sono cose diverse — sia dal punto di vista giuridico che teologico, e sarà perciò necessario mettere in risalto le differenze, a causa delle conseguenze che potrebbero derivare dalla confusione. Allo stato attuale delle ricerche sulla secolarità e dei progetti canonici sull'incardinazione, sembra che la questione non possa essere risolta e debba rimanere aperta ».

Textus ergo conficiendus est — ait Exc.mus primus Consultor qui neutrae ex oppositis theoriis faveat. Em.mus Praeses gratias agit Exc.mo primo Consultori, qui Praeses fuit praedictae Commissionis, simulque legit can. 2 schematis « De clericorum incardinazione » apparati a Coetu studii « De Sacra Hierarchia », nempe:

« § 1. Per receptum diaconatum aliquis fit clericus et adscribitur Ecclesiae particulari pro cuius servitio promotus est.

§ 2. Item per receptum diaconatum sodalis Instituti perfectionis qui votis aliisve sacris ligaminibus perpetuo admissus sit et sodalis Societatis qui promissiones perpetuas fecerit, adscribitur tanquam clericus eidem Instituto aut Societati in qua promotus est».

Hic canon si approbetur — ait Card. Felici — quaestionem de qua agimus definitive solvet, sed sensu contrario ad § 2 canonis qui nunc proponitur. Quapropter prudentiae causa aptius videtur ut quaestio nunc non solvatur, neque in uno sensu neque in altero. Perficienda utique est § 2, sed formula vel formulae quae proponuntur ponantur inter uncos, sicut factum est cum § 2 can. 124, qui agit de incardinatione clericorum in Societatibus vitae apostolicae consociatae. Dein hi duo canones provisorii cum Coetu «De Sacra Hierarchia» communicabuntur. Huic propositioni Em.mi Praesidis omnes accedunt Consultores.

Rev.mus Relator novam redactionem § 2 proponit, quae sic sonat:

«§ 2. Nisi aliud iure particulari expresse caveatur, sodales clerici horum Institutorum dioecesi incardinantur et a proprio Ordinario loci dependent (sicut clerici dioecesani), salvis iis quae vitam consecratam respiciunt (consecrationem in proprio Instituto respiciunt), in quibus Moderatores eiusdem Instituti competentes sunt».

Exc.mus nonus Consultor postulat ut addatur: «...loci *in omnibus* dependent ...».

Obiicit tamen Rev.mus duodecimus Consultor, cui et alii accedunt, clericos saeculares non in omnibus dependere ab Episcopo, uti iam dictum est: ex. gr. quoad spiritualitatem, rem oeconomicam, etc.

Quaerit Rev.mus octavus Consultor ut omittantur verba «et a proprio Ordinario loci dependent», quia hoc patet ex ipsa incardinatione.

His attentis, Rev.mus Relator, qui in his suffragationibus sese abstinet, novam redactionem proponit:

«Nisi aliud iure particulari expresse caveatur, sodales clerici horum Institutorum dioecesi incardinantur; in iis quae vitam consecratam in proprio Instituto respiciunt, propriis Moderatoribus subduntur».

Haec redactio non placet Exc.mo secundo atque Rev.mo quinto Consultoribus, quapropter Relator novum textum proponit:

«Nisi aliud iure particulari expresse caveatur, sodales clerici horum Institutorum dioecesi incardinantur et ab eiusdem Ordinario dependent, salvis iis quae vitam consecratam in proprio Instituto respiciunt».

Fit suffragatio, cuius exitus est:

Placet: 13. Non placet: 2.

Post hanc suffragationem, Exc.mus primus Consultor rogat ut alia formulatio huius § 2 tanquam alternativa ponatur, eo quod in praecedenti re-dactione incardinatio dioecesis exhibetur ut ordinaria forma incardinatio-nis, dum incardinatio in Institutum maneret velut aliquid extraordina-rium. Formula ab Exc.mo proposita est sequens:

« Sodales clericorum Institutorum, qui alicui dioecesi incardinati sint, ab eiusdem Ordinario dependent, salvis iis quae vitam consecratam in proprio Instituto respiciunt ».

(Quoad ceteros vero clericos — animadvertisit Exc.mus —, nihil dicen-dum necessarium videtur, quia iam providetur iure communi Institutorum perfectionis atque iure particulari).

Rev.mus Relator duas suffragationes proponit:

1) Utrum praedictus textus debeat Coetu praesentari ad suffragatio-nem faciendam. Exitus est:

Placet: 8. Non placet: 7.

2) Utrum hic textus probandus sit loco textus praecedenter approbati. Exitus est:

Placet: 7. Non placet: 8.

Ideo duae versiones huius § 2, nempe quae approbata est a maiore parte Consultorum et quae a minore tantum parte recepta est, inter uncos po-nentur cum nota explicativa. Haec enim quaestio, una cum quaestione de incardinazione clericorum in Societatibus vitae apostolicae consociatae, op-portuno tempore solvenda est, post profundius nempe studium peragen-dum in commissione mixta cum Coetu « De Sacra Hierarchia ».

Textus ergo can. 4 ita provisorie proponitur:

« § 1. Instituta saecularia esse possunt clericalia vel laicalia.

(§ 2. (Formula a maiori parte Consultorum approbata): Nisi aliud iure particuliari expresse caveatur, sodales clericorum Institutorum dioecesi incardinantur et ab eiusdem Ordinario dependent, salvis iis quae vitam consecratam in proprio Instituto respiciunt).

(§ 2. (Formula a minori parte Consultorum recepta): Sodales clericorum Institutorum qui alicui dioecesi incardinati sint ab eiusdem Ordinario dependent, salvis iis quae vitam consecratam in proprio Instituto re-spiciunt) ».

Examine horum canonum de Institutis saecularibus ad exitum vertente, ad Commissionis Praesidem pervenient Litterae datae a Sacra Congregatio ne pro Gentium Evangelizatione, circa problema positum ab Institutis missionariis, quae includi non desiderant in legislatione canonica « De Institutis perfectionis », etsi ad normam Codicis I.C. anni 1918 approbatae sunt tanquam Societates vitae communis absque votis publicis. Istae Societates (15) plures conventus habuerunt ad hanc quaestionem perractandam, atque unanimiter considerant notionem et legislationem Institutorum perfectionis non concordare cum charismate proprio ipsarum Societatum.

Em.mus Praeses Commissionis has Litteras legit Consultoribus, qui omnes censemt quaestionem de his Societatibus, quae locum habere nolunt inter Instituta perfectionis, non ad hunc Coetum pertinere sed earum legislationem perpendendam esse a competenti Coetu studii de iure associativo in Ecclesia, ad quem proinde tota quaestio transmittatur oportet.

II. DE DEPENDENTIA INSTITUTORUM PERFECTIONIS AB ECCLESIASTICA AUCTORITATE

Postquam Rev.mus Relator exponit ea quae de hac materia habentur in sua Relatione introductiva (cf. Adnexum II, pp. 9-10),¹ incipit examen canonum Tituli II partis primae schematis. Hi canones sunt cann. 14-24 Schematis Generalis « De Institutis perfectionis », et ita in praesenti Relatione numerantur.

Can. 14 (novus)

Haec est formula proposita.

« Competentis Ecclesiae Auctoritatis est, duce Spiritu Sancto, evangeliorum consiliorum praxim legibus moderari, ea interpretari atque stabiles inde videndi formas canonica approbatione constituere ut secundum spiritum fundatorum crescant et florent ».

Exc.mus nonus Consultor sequentes facit animadversiones:

- 1) magis logicum esset si diceretur Ecclesiasticae Auctoritati competere primo consilia evangelica interpretari ac secundo eorum praxim legibus moderari;

¹ Cf. *infra*, pp.109-111.

2) finis approbationis Instituti ex parte Auctoritatis compleatur oportet, quia hic finis non est tantum constituere Instituta ut secundum spiritum fundatorum crescant. Ad hanc difficultatem solvendam, proponit Exc.mus sextus Consultor, et placet, ut textus ita compleatur: «... constituere *necnon curare* ut ... ».

Suggerit Rev.mus quintus Consultor ut deleanor verba «duce Spiritu Sancto», quia agitur de re quae per se patet. Magis tamen placet aliis Consultoribus ut haec verba serventur, quia iam habentur in n. 44 Const. *Lumen Gentium* ad significandum hic agi de interpretando charismate (Rev.mus Relator), et quia ita aptius vitari possunt falsae oppositiones quae fiunt charisma inter et ecclesiasticam institutionem (Exc.mus prims Consultor).

His omnibus attentis, Relator sequentem proponit formulam emendatam, quae omnibus placet:

«Competentis Ecclesiae Auctoritatis est, duce Spiritu Sancto, consilia evangelica interpretari eorumdem proxim legibus moderari atque stabiles inde vivendi formas canonica approbatione constituere necnon curare ut Instituta secundum spiritum fundatorum crescant et florent».

Can. 15

Hic est textus propositus:

«§ 1. Instituta perfectionis, utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitum speciali modo dicata, Supremae eiusdem Ecclesiae Auctoritati peculiari ratione subduntur.

§ 2. Singuli sodales Summo Pontifici parere tenentur etiam ratione consilii oboedientiae».

Nulla proponitur emendatio ad § 1.

Ad § 2, Exc.mus secundus Consultor suggerit ut dicatur «vinculi» loco «consilii» quia per se consilium non obligat.

Accedit Exc.mus sextus Consultor qui tamen notat dicendum esse «ratione *sacri vinculi*», quia in terminologia CIC adhibita est expressio «*vi vinculi*» sed intelligebatur haec vincula esse semper sacra.

Propositio ab omnibus recipitur.

Aliae animadversiones non habentur, quapropter canon unanimiter approbatur cum praedicta emendatione.

Can. 16 (novus)

Haec est formula proposita:

«§ 1. Omnibus Institutis illa autonomia vitae et praesertim regiminis, agnoscenda est qua gaudeant in Ecclesia propria disciplina, proprio, si causus ferat, liturgico usu atque integrum servare valeant suum patrimonium doctrinale et spirituale.

§ 2. Apostolicae Sedis necnon Episcoporum est hanc autonomiam sancire et in tuto servare».

Exc.mus primus Consultor obiectionem movet quoad vocem «autonomia» (§ 1, lin. 1); sunt enim qui omnimodam autonomiam habere cipiunt sive in relationibus Provincias religiosas inter et Gubernium centrale Instituti, sive in relationibus Instituta inter et Sanctam Sedem.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, inter quos Exc.mus decimus (qui quaerit ut dicatur «autonomia *interna*») atque Rev.mus quintus (qui mavult ut ponatur «propria vitae ratio»).

Exc.mus secundus Consultor sequentia animadvertisit:

- 1) in Decr. «Perfectae caritatis» sermo tantum est de «patrimonio spirituali» non vero «doctrinali»;
- 2) opportunum non videtur ut autonomia postuletur etiam quoad «liturgicum usum».

His dictis accedunt Exc.mus tertius et Rev.mus quartus decimus Consultores.

Respondet Rev.mus Relator dictum esse «patrimonium doctrinale et spirituale», quia spiritualitas adhaeret doctrinae; adhibetur praeterea locutio «liturgico usu», quia talis usus liturgicus proprius quandoque habetur in quibusdam Institutis.

Exc.mus sextus Consultor censet principium autonomiae vitae et regiminis omnino affirmandum esse, quia Instituta perfectionis sunt personae morales seu iuridicae in Ecclesia: si huiusmodi autonomia non gauderent, non essent personae. Animadvertisit quoque Exc.mus consulto dictum fuisse «liturgicus usus» et non «ritus liturgicus», ut confusiones vitentur; de facto sunt Instituta quae proprium calendarium liturgicum habent idque servare possunt.

Proponit Rev.mus octavus Consultor ut dicatur «illa autonomia qua indigent», ad vitandum verbum «gaudeant». Sed magis placet omnibus Consultoribus propositio Rev.mi quinti decimi Consultois, ad cuius men-

5) servata Instituti disciplina et de consensu competentis moderatoris, sodales coetuum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere quae cum indole propria et fine specifico eiusdem Instituti congruant».

Quaerit Exc.mus nonus Consultor ut deleantur verba «salvo semper iure communi», quia inutilia videntur. Obiicit tamen Exc.mus sextus Consultor haec verba necessaria esse, quia Episcopi facultatem habent dispensandi in iure particulari institutorum iuris dioecesani, quae tamen facultas non valet in casu Institutorum perfectionis (cf. Motu pr. *De Episcoporum muneribus*).

His dictis accedit Rev.mus duodecimus Consultor, qui memorat ius commune latius patere quam Codicem Iuris Canonici.

Exc.mus secundus Consultor censet verbum «coetus», sub n. 4º, non esse satis clarum, quia multa significare potest, ex. gr. «gruppo», «riunione», «commissione», etc.

Animadvertisit autem Exc.mus sextus Consultor in nostro schemate verbum «coetus» adhibitum semper esse ad significandam «communitatem».

Proponit Rev.mus octavus Consultor ut in n. 4º deleantur verba «si habeantur» quod placet. Ipso Rev.mo proponente, deletur quoque verbum «sitas», quia non necessarium.

Nulla alia animadversio habetur, quapropter textus approbatur cum praedictis emendationibus in n. 4º.

Can. 20

Hic est textus propositus:

«Cum Institutum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario loci sedis principis competit:

1) confirmare immutationes in statuta iuris particularis inductas, de quibus in can. 19, n. 2º, consultis singulis Ordinariis loci in quorum dioecesibus Institutum sedes vel coetus habet;

2) dispensationes concedere de quibus in can. 19, n. 3º».

Textus approbatur uti iacet.

Can. 21

Haec est formula proposita:

«Ad transferendam sedem principem Instituti iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensu tam Ordinarii

loci a quo translatio fit quam illius loci ad quem sedes princeps transferatur».

Textus approbatur uti iacet.

Can. 22

Hic est textus propositus:

«§ 1. Instituta iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiiciuntur in regimine interno et disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum Institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque Instituti propriae et servata eiusdem Instituti disciplina».

Textus recipitur uti iacet.

Can. 23

Haec est formula proposita:

«Ordinarii loci ius et officium est sedes Institutorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium cultus divini et ad opera externa apostolatus, tempore visitationis pastoralis et quoties graves causae id suadeant».

Textus approbatur uti iacet

Can. 24

Textus propositus sic sonat:

«Ordinarii locorum conventus promoveant cum moderatoribus, praesertim maioribus, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, ut pro operibus apostolatus quae a sodalibus excentur, consiliis mutuo inter se collatis procedant».

Approbatur formula uti iacet.

III. DE MUTATIONIBUS, PRAESERTIM TERMINOLOGICIS, QUAE IN SCHEMA INTRODUCENDAE PROPONUNTUR

Antequam haec tertia quaestio examini Coetus submittatur, Consultoribus quaeritur utrum animadversiones facientes habeant in Relationem conclusivam praecedentis Sessionis.

Nulla fit animadversio quapropter, facta suffragatione, Relatio Sessionis XV.^{ae} unanimiter approbatur.

Dein Rev.mus Relator sequentem elenchum proponit mutationum quae introducenda videntur (cf. Adnexum III, pp. 20-73, ubi iam habetur schema canonum emendatum iuxta propositas mutationes).¹

- 1) Mutatio «rubricae» Tit. I partis I Schematis generalis.
- 2) Can. 1, § 2: deletur vox «consociati».
- 3) Can. 2, § 1: mutatur ultima phrasis per adoptionem verborum can. 487 Codicis vigentis.
- 4) Can. 3, § 2: ista § quoad substantiam fit can. 14.
- 5) Can. 7: mutatio terminologiae et clarificatio.
- 6) Can. 8: mutatio terminologiae et auctoritatis competentis ad actus ponendos.
- 7) Can. 9: mutatio terminologiae.
- 8) Can. 10: mutatio terminologiae.
- 9) Can. 11: mutatio terminologiae.
- 10) Can. 12: mutatur terminologia et adhibetur forma brevior canonis.
- 11) Can. 13: mutatio terminologiae.
- 12) Can. 25: in §§ 1 et 2 fiunt mutationes minoris momenti. Additur § 3 quae necessaria appetit ob introductionem canonis circa exemptionem.
- 13) Can. 32 : mutatio verbi «domus» in «sedes» et «coetus».
- 14) Can. 35: videndum utrum vox «communitas» mutanda sit in «coetum».
- 15) Tit. V, Art. 2 et 3: videndum utrum voces: «novitii», «novitiatus», «magister novitiorum» mutari debeant in «sodales nuper recepti»,

¹ Cf. infra, pp. 120-165.

« probationis tempus canonicae », « probatio canonica », « magister receptorum » vel in alias similes (cf. cann. 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 58, 59).

- 16) Can. 51: mutatur terminologia et additur « translatio ».
- 17) Can. 52: simplicior et magis clara formulatio canonis proponitur. Mutationes necessariae propter omissionem canonis de spatiis actuositatis formativae.
- 18) Can. 61: proponitur ut canon deleatur e Schemate eo quod constitutat meram repetitionem.
- 19) Can. 76 § 2: mutatio minima proponitur propter errorem.
- 20) Can. 79: omittitur ultima pars § 2 quia in can. 81 statuitur norma generalis pro quolibet indulto discedendi ab Instituto.
- 21) Can. 81: minima quaedam mutatio proponitur ad difficultates tollendas.
- 22) Can. 88: delentur quaedam verba quae inutilia facta sunt ob mutatam disciplinam in Ecclesia Latina quoad ordines minores.
- 23) Can. 94: in § 1 canonis quoad eremitas additur « seu anachoreticam » ad difficultates praecavendas.
- 24) Can. 100: descriptio « monachi », quae per oblivionem in Schema te remanserat, mutatur in illam Instituti monastici, adhibitis iisdem verbis.
- 25) Can. 108: proponitur ut phrasis « virorum Ordini consociata » mutetur in illam: « virorum Instituto consociata » quia in Schemate sermo de Ordine vel Congregatione numquam factus est.
- 26) Can. 124: § 2 huius canonis nec examinata nec discussa nec approbata est. Expectare oportet decisionem alterius Coetus Studiorum quoad incardinationem.

Singulae praedictae emendationes examini et suffragationi Consultorum submittuntur. Omnes absque animadversionibus approbatae sunt, iis exceptis quae sequuntur:

Ad 1: Exc.mus nous Consultor suggerit ut dicatur « De Institutorum eorumque partium innovatione ». Magis tamen placet ut maneat « constitutione », quia per hoc verbum omnes possibles actus iuridici significantur.

Ad 3: Rev.mus octavus Consultor animadvertisit formulam nunc propositam iam adesse in aliqua praecedenti redactione, sed mutata fuit ne saperet « triumphalismum ».

Rev.mus Relator censet praedictam formulam manere posse, quia habetur in hodierno CIC; proponit tamen Exc.mus nonus Consultor ut ita emendetur: « pertinet et *ideo* ab omnibus ».

Suffragatur formula sicut iacet, cum sola praedicta emendatione. En exitus suffragationis:

Placet: 10. Non placet: 4.

Ad 5: Rev.mus octavus Consultor suggestit ut in § 1 deleantur superflua verba « aliique in iure aequiparati » quod placet. Recipitur quoque propositio Exc.mi decimi Consultoris ad cuius mentem aptius videtur sequens paragraphorum ordo: § 1, § 3, § 2.

Ad 7: Exc.mus nonus et Rev.mus octavus Consultores proponunt ut § 1 ita emendetur: « Instituti sedes eriguntur vel coetus constituuntur ab auctoritate... ». Magis tamen placet servare textum sicuti iacet quia, uti animadvertisit Rev.mus duodecimus Consultor, etiam coetus religiosorum seu domus parvae erigi semper debent ab auctoritate competenti, quae vigilare debet de servanda religiosa disciplina. Hoc videtur necessarium ad vitandos abusus.

Ad 10: Exc.mus primus Consultor quaestionem ponit de foederationibus atque unionibus non extinctivis quae nunc habentur inter Instituta perfectionis, etiam si non sint Instituta monastica.

Ad hanc animadversionem recipiendam, diversae proponuntur formulae: « Fusiones, uniones extinctivae, et foederationes... » (Relator); « Foederations, uniones, fusiones et associationes... » (duodecimus). Difficultatem tamen movent Exc.mus decimus et Rev.mus octavus Consultores quoad verbum « associationes », cuius natura iuridica in casu non clare patet. Denique Rev.mus Relator sequentem proponit textum qui ab omnibus recipitur: « Foederations, fusiones et uniones Institutorum... ».

Ad 11: Rev.mus octavus Consultor exoptat ut dicatur, in § 4, « prae oculis habitis fundatorum et offerentium voluntatibus ». Ceteri tamen Consultores censem textum servandum esse uti iacet.

Ad 12: necessitas animadvertisit ponendi in § 3 aliqua nota, qua clare dicatur omnia haec pendere a solutione danda quaestioni generali de distinctione potestatem ordinis inter et potestatem iurisdictionis. Omnibus placet Consultoribus ut ista nota in schemate ponatur.

Ad 13: suggestit Rev.mus octavus Consultor ut adhibeat verbum « Superior » loco « Moderator », ad vitandas falsas interpretationes quae habentur de notione auctoritatis. Aliis tamen Consultoribus magis placet ut

seretur verbum «Moderator», quod est verbum generalissimum et includit sive Superiores sive Delegatos, etc.

Ad 15: animadvertisit Rev.mus Relator magis placere parvo Coetui ut servetur terminologia a saeculis consecrata, etiam quia alia verba proposita («receptus», etc.) sunt nimis vacua et indeterminata, quod favere indirecte poterit experimentis periculosis in tempore probationis.

His dictis alii accedunt Consultores, sed ad vitandas possibles difficultates in casu Institutorum saecularium, Exc.mi primus et nonus Consultores proponunt ut in can. 50 dicatur: «*Probationis canonicae tempus seu novitiatus ... ordinatur ut sodales nuper recepti ...*», quod omnibus placet.

Exc.mus sextus Consultor censem in canone 51 sermonem faciendum esse tantum de sede. Etiam Exc.mus primus et alii Consultores dubitant de claritate locutionis «*Probationis canonicae ... translatio et suppressio*».

His animadversionibus attentis, Rev.mus Relator sequentem textum emendatum proponit qui ab omnibus recipitur:

«*Probationis canonicae constitutio necnon sedium pro ea erectio, translatio et suppressio fiant per decretum scripto datum Supremi Moderoris Instituti de consensu sui consilii*».

Placet quoque ut in can. 53 sequentes fiant mutationes terminologicae: «*Probationis magister sit...*» (§ 1); «*Probationis canonicae moderamen sub ...*» (§ 2); «*... moderamen probationis canonicae et institutionis rationem*» (§ 3).

Item probatur ut eiusdem generis mutationes fiant in ceteris canonibus (54-59).

Ad 21: Rev.mus octavus Consultor quaestionem ponit de illis qui de facto ab Instituto discedunt.

Respondet Rev.mus Relator iam provisum esse per normam in can. 82 positam.

Examine ita expleto omnium mutationum quae in definito schemate canonum «De Institutis perfectionis» introducenda sunt, Em.mus Praeses Commissionis annuntiat tempore opportuno quemdam Coetum mixtum cum Coetu studii «De Sacra Hierarchia» constituendum esse, ad perpendendas varias quaestiones de incardinatione quae perdurantibus huius Coetus sessionibus enucleatae sunt, nempe: incardinatio clericorum qui egressi vel dimissi sunt ab Instituto, incardinatio seu adscriptio clericorum qui definitive cooptati sunt in Institutum perfectionis, possibiles incardinationis formae in Societatibus vitae apostolicae consociatae atque in Institutis saecularibus et ita porro.

Attramen prius quam haec claudatur ultima sessio Coetus « De Institutis perfectionis », Card. Felici quaestionem proponit de ipso titulo schematis seu de ipso nomine « Institutorum perfectionis ». Hoc enim nomen seu titulus provisorie sumptum est ab hoc Coetu, ut Instituta significantur quorum sodales consilia evangelica vinculo sacro profitentur, forma ab Auctoritate Ecclesiastica sancita: quae realitas iuridica apte distinguit haec Instituta a ceteris variis associationis formis cuiuscumque generis quae in Ecclesia exstant. Huiusmodi tamen titulus seu nomen « Institutorum perfectionis » animadversiones passus est, praesertim quia: 1) ad mentem quorundam, haec locutio quemdam saperet « triumphalismum », qua ratione psychologica etiam vitata fuit illa alia locutio « status perfectionis »; b) omnes Christifideles ad perfectionem caritatis vocantur, ideoque omnia instituta seu entia (universitates nempe rerum vel personarum), quae a Christifidelibus iure canonico constituuntur ad eorum missionem in Ecclesia perficiendam aliquo modo dici possunt instituta perfectionis.

Proponit ergo Em.mus Praeses ut suffragatio fiat de servando vel mutando titulo.

Huic propositioni omnes accedunt Consultores, et tituli qui suffragationi submittuntur sunt sequentes:

A) « De Institutis perfectionis »

B) « De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum » (Hic titulus, si approbetur, ponendus est sicut titulus schematis seu huius partis legislationis canonicae, ad mentem Decr. *Perfectae caritatis*, n. 1; in canonibus autem poneretur, brevitatis causa, locutio *De Institutis vitae consecratae*)

C) « De Institutis evangelica consilia profitentibus ».

En exitus suffragationis:

Placet titulus sub A: 0

Placet titulus sub B: 9

Placet titulus sub C: 6

Recipitur ergo titulus propositus sub B.

Ita peracta quae perficienda erant, Em.mus Praeses Commissionis gratias agit omnibus Consultoribus atque, precibus de more dictis, finem Sessioni studii imponit.

Romae, 9 mai 1974.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum I

CANONES IN HAC SESSIONE APPROBATI

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

Can. primus (125)

§ 1. Instituta Saecularia, per professionem in saeculo trium consilio-
rum evangelicorum aliquo sacro vinculo firmatam, veram et completam
formam vitae consecratae in Ecclesia constituunt.

§ 2. Sodales horum Institutorum in saeculo et ex saeculo propriam
consecrationem in actuositate apostolica exprimunt et exercent atque, ad
instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu
evangelico imbuere satagunt.

Can. secundus (126)

Haec Instituta lege vitae communis non tenentur neque ullum conse-
crationis signum deferre obstringuntur sodales, qui in temporalibus vitae
rationem christifidelibus congruentem iuxta propriam cuiusque conditio-
nem servant.

Can. tertius (127)

Ius particulare cuiuslibet Instituti, attentis peculiari eius natura et vi-
vendi ratione necnon saecularitate eidem propria, obligationes et proxim
consiliorum evangelicorum apte determinet atque definiat.

Can. quartus (128)

§ 1. Instituta Saecularia esse possunt clericalia vel laicalia.

(§ 2. (Formula a maiori parte Consultorum approbata):

Nisi aliud iure particulari expresse caveatur, sodales clerici horum
Institutorum dioecesi incardinantur et ab eiusdem Ordinario dependent,
salvis iis quae vitam consecratam in proprio Instituto respiciunt).

(§ 2. (Formula a minori parte Consultorum approbata):

Sodales clerici horum Institutorum qui alicui dioecesi incardinati sint ab eiusdem Ordinario dependent, salvis iis quae vitam consecratam in proprio Instituto respiciunt).

DE DEPENDENTIA INSTITUTORUM AB ECCLESIASTICA AUCTORITATE

Can. primus (14)

Competentis Ecclesiae Auctoritatis est, duce Spiritu sancto, consilia evangelica interpretari eorumdem proxim legibus moderari, atque stabiles inde vivendi formas canonica approbatione constituere necnon curare ut Instituta secundum spiritum fundatorum crescant et florent.

Can. secundus (15)

§ 1. Instituta perfectionis, utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitium speciali modo dicata, Supremae eiusdem Ecclesiae Auctoritati peculiari ratione subduntur.

§ 2. Singuli sodales Summo Pontifici parere tenentur etiam ratione sacri vinculi oboedientiae.

Can. tertius (16)

§ 1. Singulis Institutis iusta autonomia vitae, praesertim regiminis, agnoscenda est qua gaudeant in Ecclesia propria disciplina atque integrum servare valeant suum patrimonium doctrinale, spirituale et liturgicum.

§ 2. Apostolicae Sedis necnon Episcoporum est hanc autonomiam sancire et in tuto servare.

Can. quartus (17)

Quo melius Institutorum bono atque apostolatus necessitatibus provideatur, Summus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, intuitu utilitatis communis Instituta perfectionis, immo et eorumdem sodales, ab Ordinariorum loci iurisdictione eximere potest sibique soli vel alii ecclesiasticae auctoritati subiicere.

Can. quintus (18)

Institutorum sedes et sodales subduntur auctoritati Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris.

Can. sextus (19)

In regendis Institutis iuris dioecesani, utpote suea peculiari curae et vigilantiae concreditis, Ordinario loci, salvo semper iure communi, competit:

- 1) statuta iuris particularis, de quibus in can. 92, § 1, approbare;
- 2) immutationes in eisdem a Capitulo Generali Instituti propositas confirmare, salvis iis in quibus Apostolica Sedes manus iam apposuerit;
- 3) dispensationes a praescriptis iuris particularis legitime petitas singulis in casibus et per modum actus dare;
- 4) visitare coetus Instituti eorumque sedes in suo territorio, quoties visitationem pastoralem ibi peragit, necnon cum rationes vere peculiares suo iudicio id requirant;
- 5) servata Instituti disciplina et de consensu competentis moderatoris, sodales coetuum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere quae cum indole propria et fine specifico eiusdem Instituti congruant.

Can. septimus (20)

Cum Institutum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario loci sedis principis competit:

- 1) confirmare immutationes in statuta iuris particularis inductas, de quibus in can. 19, n. 2°, consultis singulis Ordinariis loci in quorum dioecesis Institutum sedes vel coetus habet;
- 2) dispensationes concedere de quibus in can. 19, n. 3.

Can. octavus (21)

Ad transferendam sedem principem Instituti iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensu tam Ordinarii loci a quo translatio fit quam illius loci ad quem sedes princeps transfertur.

Can. nonus (22)

§ 1. Instituta iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiciuntur in regimine interno et disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum Institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque Instituti propriae et servata eiusdem Instituti disciplina.

Can. decimus (23)

Ordinarii loci ius et officium est sedes Institutorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium cultus divini et ad opera externa apostolatus, tempore visitationis pastoralis et quoties graves causae id suadeant.

Can. decimus primus (24)

Ordinarii locorum conventus promoveant cum moderatoribus, praesertim maioribus, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, ut pro operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur, consiliis mutuo inter se collatis procedant.

N.B. Mutationes terminologiae quae in quosdam alias schematis canones introducenda sunt, in hac Relatione conclusiva recensentur: cf. pp. 34-35.¹

¹ Cf. *supra*, pp. 92-93.

Adnexum II

RELATIO INTRODUCTIVA DECIMA QUARTA

*I. Introductio; II. De Institutis Saecularibus; III. De dependentia Insti-
tutorum Perfectionis ab Ecclesiastica Auctoritate; IV. De mutationibus, pae-
sertim terminologicis, quae in Schema canonum introducenda proponuntur.*

I. INTRODUCTIO

1. In praeterita sessione nostri Coetus Studiorum, Rev.mi Consultores strenue ac sollicite adlaboraverunt et ita ad bonum exitum deduxerunt examen sequentium: *a) Schematis emendati secundae partis Schematis Generalis; b) canonis propositi de vita eremitica; c) quorumdam canonum intro-
ductivorum Tituli I secundae partis Schematis Generalis, qui agit: «De In-
stitutis Religiosis; d) canonum Tituli II secundae partis eiusdem Schema-
tis, qui normas continet: «De Institutis vitae apostolicae consociatae».* Schema secundae partis a nostro Coetu in illa sessione adoptatum necnon carones tunc approbati inveniuntur in «Relatione Conclusiva» eiusdem sessionis a nostro diligenti et sollerti Actuario elaborata, quae hac in sessio-
ne approbanda est.

Sessio illa, quae XV. nostri Coetus fuit, habita est diebus 30 mensis aprilis et 1-5 mensis maii anni elapsi sub moderamine Rev.mi, ac nobis omnibus dilectissimi, Patris Raimundi Bidagor S.J., tunc a secretis nostrae Commissionis Pontificiae, qui tamen interim officio suo valedixit ob infir-
mam valetudinem. Pergratos meos animi sensus — et abs dubio omnium qui una mecum in hoc Coetu operam impendunt — eidem Rev.mo Patri exprimens, hac nacta occasione maximas gratias ei publice agere cupio pro valido ac multiplice adiutorio nobis allato perdurantibus pluribus annis. A momento namque susceptionis munera Relatoris huius Coetus, ipse adfuit mihi — et audeo dicere omnibus quoque aliis — uti magister animator, prudens consiliarius, in adversis consolator et pater.

2. Si altera pars Schematis Generalis in ultima sessione, ut iam dictum est, a Coetu nostro adoptata inspiciatur et comparetur cum canonibus ap-
probatis in tribus praeteritis sessionibus, clarum apparebit quod ex tribus

titulis secundae partis unus tantum non fuit adhuc examini Consultorum subiectus, nempe: *Titulus III: De Institutis Saecularibus*. Etenim, canones praeliminares secundae partis et praescripta canonum quae respiciunt, modo speciali, Instituta Religiosa et Instituta vitae apostolicae consociatae iam approbata sunt. Ideo, logice, primum de quo agendum erit in hac sessione sunt canones qui normas continent circa Instituta Saecularia.

3. In Schemate Generali Coetui praesentato a me Relatore in sexta sessione, diebus 24-29 mensis martii 1969 habita, secunda pars quae adhuc in «Sectionibus» apparet divisa, habetur Sectio Quinta: «De Institutis Exemptis» (cf. Relationem Conclusivam Sessionis VI, Adenexum I, p. 2 et n. 15, p. 12; cf. etiam *Communicationes*, II, 1970, p. 176). Ratio ponendi hanc sectionem in parte secunda Schematis exposita fuit in eodem documento adnexo Relationi Conclusivae Sessionis VI, iamiam citato. Huiusmodi tamen inclusio, quae in sessione VI, simul cum aliis sectionibus secundae partis modo dumtaxat provisorio a Coetu approbata fuit, ibidem per longum tempus non remansit. In sessione XII, diebus 22-27 mensis novembris anni 1971 habita, secunda pars Schematis Generalis examini subiecta fuit et, inter alia, Consultores decreverunt suppressionem quintae sectionis, ubi sermo fieri debuisse: «De Institutis Exemptis». Ratio non fuit decisio tacendi de exemptione in legislatione circa Instituta perfectio- nis. Hoc enim vix fieri potest, cum Patres Concilii tam in Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 45, quam in Decr. *Christus Dominus* n. 35, 3, eam expresse servarunt et eius utilitatem tam pro Institutis quam pro Ecclesia declararunt. Motivum fuit possilitas pro Summo Pontifice a iurisdictione Ordinariorum loci eximendi quodlibet Institutum perfectionis, immo et quilibet sodalem, sibique vel alii auctoritati subiiciendi, sicut aperte dicitur in Const. Dogm. *Lumen Gentium* n. 45; unde Consultoribus Parvi Coetus visum est magis opportunum et logicum de exemptione agere in parte generali Schematis, cum exemptio extendi possit ad omnia Instituta et ad omnes sodales, sicut dictum est.

In praeparatione tamen Sessionis XII nostri Coetus, ubi quaestio de ordine introducendo in secundam partem Schematis Generalis iterum ad trutinam revocata fuit, Consultores Parvi Coetus proposuerunt ut de exemptione tractaretur in prima parte Schematis «et praecise post Titulum III: 'De Institutorum regimine', quia exemptio ad regimen institutorum pertinere videtur eique adiudicanda est» (Relatio Conclusiva Sessionis XII, Adenexum I, n. 9, p. 6).¹ Rem tamen profundius considerantes, iidem Con-

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 156.

sultores Parvi Coetus paucissimos canones de exemptione tractantes in Titulum II partis primae Schematis Generalis inseruerunt et unam dumtaxat paragraphum primo canoni Tituli III addiderunt. Insertiones propositae in Titulum II quasdam alias mutationes leves postulant in aliis canonibus), quae introducenda nunc proponuntur. En ratio quare tamquam argumentum secundum discussionis in hac sessione ponitur rubrica eiusdem Tituli II: *De dependentia Institutorum Perfectionis ab Ecclesiastica Auctoritate*. Nam, exemptio et autonomia Institutorum hanc dependentiam afficit, etsi negative. Canones tamen qui in praeteritis sessionibus approbati fuerunt et pro quibus emendationes non proponuntur, in hac sessione nullo modo iterum ad trutinam erunt revocandi.

4. Omnibus Consultoribus nostri Coetus, qui per quosdam saltem annos partes habuerunt in recognitione huius sectionis iuris, notum est Coetum nostrum ab initio et usque ad quartam sessionem inclusive appellatum fuisse: *De Religiosis*. Sicut referebam in mea prima relatione, publici iuris facta in ephemeride «Communicationes» (cf. vol. II, 1970, pp. 168-181), fuit Coetus Studiorum: «De Ordinatione Systematica Novi Codicis» qui appellationem mutavit in illam: *De Institutis Perfectionis*. A quo tempore Coetus noster ita ab omnibus cognitus et appellatus est. In illa relatione exposui motiva ob quae probabiliter dictus Coetus titulum mutaverat (cf. *ibid.*, pp. 173-174). «Nil mirum proinde — dicebam in altera mea relatione, in eadem ephemeride publici iuris facta anno 1973 — si omnes canones a Coetu nostro approbati in primis quatuor sessionibus cohaerentem terminologiam praeseferunt cum titulo: «*De Religiosis*». Haec, plus minusve, concordat cum terminologia Codicis vigentis. *Evidenter canones isti sicuti iacent remanere non possunt*. Consultores tamen Coetus nostri noluerunt statim manus apponere ad terminologiam mutandam, sed maluerunt ulterius procedere cum formulatione aliorum canonum, qui in subsequentes titulos primae et secundae partis schematis generalis poni deberent. *Mutatio terminologiae* — edixerunt Consultores — *facienda erit simul cum generali revisione schematis*» (*Communicationes*, V, 1973, n. 4, p. 49).

Per examen tamen et approbationem canonum qui respiciunt Instituta Saecularia et exemptionem, Schema Generale in omnibus suis partibus absolutum erit. Advenit igitur tempus terminologiam examinandi eamque apte componendi cum novo titulo nostri Coetus. Examen hoc et recognitio terminologiae respiciunt imprimis canones in illis primis quatuor sessionibus formulatos, exceptis tamen canonibus praeliminariibus generalibus, qui profunde recogniti iam fuerunt in Sessione XII (cf. Relationem

Conclusivam Sessionis XII, p. 11-37;¹ Adnexum I, pp. 9-17;² Adnexum III, pp. 25-26).³ Necessaria etiam videtur quaedam attenta revisio totius schematis ad vitandas repetitiones, ad implendas lacunas et generatim ad defectus tollendos. Et hoc fuit motivum ponendi tertio loco tamquam obiectum examinis in hac sessione faciendi: «*De mutationibus, praesertim terminologicis, quae in Schema canonum introducenda proponuntur*».

De unoquoque singillatim nunc agendum est.

II. DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

5. Coadunantur sub hoc titulo numerosa Instituta, quae constituunt novissimam formam vitae per professionem consiliorum evangelicorum consecratae ab Ecclesia agnitam et approbatam. Neminem latet hanc formam vitae consecratae non parum ab aliis formis differre. Ipsa — uti plane dicitur in Decreto *Perfectae caritatis* quamvis instituta religiosa non sint, «veram tamen et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt» (n. 11). Sed neque vitam in communi ducendam exigunt, immo per se potius reiciunt, neque signum consecrationis suae sodales tenentur ad extra deferre. Tamquam notam sibi propriam Instituta et sodales habent «saecularitatem» qua apostolatum proprium exercent modo sibi proprio. Sese nempe dedicant sodales, ex instituto, ad societatem Christo acquirendam veluti ab intra seu ex saeculo et in saeculo, ut dicunt Patres Conciliares. Sodales in mundo fermentum esse debent ad robur et incrementum Corporis Christi.

Ad hoc ut huiusmodi Instituta inter perfectionis Instituta adnumerari possint, oportet ut tria consilia evangelica, aliquo sacro vinculo firmata, acceptent et notam «saecularitatis» habeant sensu exposito. Salvis tamen huiusmodi requisitis essentialibus, habetur inter varia Instituta mirabilis diversitas, tam ratione indolis, scopi et missionis, quam ratione determinationis observantiae consiliorum evangelicorum et methodi operandi ad finem consequendum. Quaedam enim Instituta vota admittunt, alia vero dumtaxat iuramentum vel promissionem; quaedam domos habent pro institutione tironum vel tamquam sedes Moderatoris Supremi, alia hoc minime admittunt. Quaedam sunt omnibus fere nota, alia vero in abscondito vitam agunt et apostolatum exercent.

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 131-156.

² Cf. *ibidem*, 158-167.

³ Cf. *ibidem*, 173-174.

6. Quapropter, sicut iam factum est pro aliis categoriis Institutorum perfectionis, ita etiam — et forsitan magis — in formulandis praescriptis canonum quae Instituta Saecularia respiciunt principia directiva, suo tempore a Coetu nostro approbata, late applicanda sunt. Ad hoc ut Instituta huiusmodi ob suam magnam varietatem detrimentum non patientur propter ineptam legislationem communem oportet ut canones pauci sint et indolem habeant universalem et flexibilem, ita ut faciliter aptari possint omnibus Institutis. Etiam in hac parte ius particulare peculiare habet momentum pro vita et activitate Institutorum eorumque sodalium. Non erunt namque praescripta iuris communis quae maiores partes habere debent in dirigenda Instituta, sed normae statutorum cuiusque Instituti. Abs dubio etiam Instituta Saecularia eorumque sodales tenebuntur observare non solum paucas leges iuris communis quae pro eis specialiter latae sunt sed etiam omnia praescripta canonum primae partis, quae communia sunt omnibus Institutis perfectionis cuiuscumque generis. Sed omnes istae leges sunt nimis generales et parum inservire possunt, nisi inveniant applicacionem concretam et practicam in iure particulari Institutorum.

7. Canones qui normas speciales statuunt pro Institutis Saecularibus eorumque sodalibus tres enumerantur. Praeparatio horum praescriptorum sat laboriosa et longa fuit. Imprimis p[re]ae oculis constanter habere debui documenta legislativa generalia circa haec Instituta quae a Sede Apostolica lata sunt, nempe: *a) Constitutionem Apostolicam Provida Mater Ecclesia* Pii Papae XII, die 2 februarii 1947 promulgatam, qua Instituta Saecularia in Ecclesiam publice et officialiter recepta sunt, *b) Motu Proprio Primo feliciter*, eiusdem Papae Pii XII, diei 12 martii 1948 et *c) Instructionem Cum SS. mus*, diei 19 martii eiusdem anni 1948 a S. Congregatione de Religiosis editam. Praeterea documenta conciliaria, et praesertim Decretum *Perfectae caritatis* (n. 11), adamussim erant examinanda, necnon *Allocationes Summi Pontificis* Pauli VI habitae die 26 mensis septembris 1970 (cf. *AAS*, vol. LXII, 1970, pp. 619-624), die 2 mensis februarii 1972 (cf. *AAS*, vol. LXIV, 1972, p. 206-212) et die 20 mensis Septembris 1972 (cf. *AAS*, Vol. LXIV, 1972, pp. 615-620). Etiam Acta Congressus Internationalis Institutorum Saecularium prae manibus habui ad hoc ut rectam ideam et completam acquirere possem (cf. *Acta Congressus Internationalis Institutorum Saecularium*, Romae, 20-26 IX – 1970, Edizioni O.R., Milano). Non pauci conatus facti sunt ad hos canones conficiendos et plures formulationes Consultoribus Parvi Coetus praesentavi. Tandem omnes convenimus ut textus trium canonum sequentium proponi deberet Coetui nostro pro consideratione et si placeret pro approbatione. En canones qui aliquibus brevibus notis illustrantur.

8.

CANON PRIMUS

§ 1. Instituta Saecularia, per assumptionem trium consiliorum evangelicorum aliquo sacro vinculo firmatam, veram et propriam formam vitae consecratae in Ecclesia constituunt.

§ 2. Sodales, qui in saeculo et ex saeculo actuositatem apostolicam exprimunt et exercent, vitae temporalis rationem christifidelibus communem servant et, ad instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuere satagunt.

Notae:

a) In § 1, quae potius declarativa est, doctrina recolligitur quae in documentis supra recensitis habetur circa categoriam Institutorum Saecularium et praesertim in n. 11 Decr. *Perfectae caritatis*. Constituunt nempe novam et peculiarem formam vitae Deo consecratae seu ei totaliter dedicatae, ut dicitur in n. 44 Const. Dogm. *Lumen Gentium*. Ratio ponendi hanc § invenitur in necessitate huius declarationis ad omnes dubietates quae oriri possunt e medio tollendas.

b) Verba: «per assumptionem trium consiliorum aliquo sacro vinculo firmatam», stricte necessaria non sunt quia iam in primo canone totius Schematics hoc apertissime affirmatur. Attamen, considerata peculiari natura horum Institutorum necnon conditione vitae sodalium, opportunum visum est mihi et ceteris Consultoribus Parvi Coetus haec verba inserere. Non desunt enim Instituta, tam in hac categoria quam in aliis, quae necessitatem assumptionis consiliorum evangelicorum in dubium ponunt vel negant.

c) In § 2 exponuntur notae propriae apostolatus, qui a sodalibus horum Institutorum exercendus est. Huiusmodi notae sunt omnino generales et maiorem specificationem et concretam applicationem habere debent in statutis particularibus cuiusque Instituti. Apostolatus de quo est sermo qualificari debet nota «saecularitatis» et proinde distingui ab illo qui a sodalibus aliorum Institutorum perfectionis exercetur. In quo consistat haec nota bene exponitur in documentis supra citatis et delineatur expressionibus in hac inclusis et supra iam sufficienter expositis.

d) Sodales horum Institutorum, quod attinet ad modum vivendi et agendi exterum, a ceteris fidelibus eiusdem conditionis socialis distingui non debent, utique vero quoad vitam interiorem et spiritualem propter consecrationem vitae ex professione consiliorum evangelicorum provenientem. Ideo dicitur: «vitae temporalis rationem christifidelibus communem servant». Exinde illustratur quomodo ipsi debeant suam actuositatem apostolicam exprimere et exercere «in saeculo et ex saeculo». Illa enim est eorum conditio et propterea ab intra et ad instar fermenti ipsius societatis adlaborare debent ut illam imbuere possint spiritu evangelico et Christo reconciliare. Ita eodem

tempore Ecclesiam roborant sua actione apostolica et virtute Christi incrementant. Actio haec — uti omnes scimus — hodie quammaxime necessaria appetit propter sic dictam «scristianizzazione» societatis.

9.

CANON SECUNDUS

§ 1. Haec Instituta lege vitae communis non tenentur nec signa externa consecrationis habent sodales.

§ 2. Statuta cuiusque Instituti, attentis peculiari eorum vivendi ratione necnon saecularitate eis propria, observantiam consiliorum evangelicorum apte determinent et eorum sensum et obligationes definiant.

Notae:

a) In § 1 huius canonis statuuntur notae negativae quibus Instituta saecularia eorumque sodales distinguuntur ab aliis Institutis Perfectionis et ab aliis personis in his admissis vel cooptatis. Opportunum videtur has notas hic explicite recolere quia quaedam Instituta Saecularia, forte identitatem suam adhuc non perfecte agnoscentia, vitam communem admittunt plus minusve sicut aliae categoriae Institutorum Perfectionis. Quod non videtur apte concordare cum eorum nota saecularitatis et cum eorum missione apostolica fermentandi ab intra societatem in qua vivunt externe uti alii christifideles. Eadem est ratio non admittendi aliquod signum consecrationis ex parte sodalium.

b) Paragraphus secunda est summi momenti pro vita et missione apostolica cuiuslibet Instituti Saecularis. Indoles enim et finis cuiusque Instituti, efficacia eius laboris apostolici, profectus sodalium in vita spirituali, dependent ab illa apta determinatione observantiae consiliorum evangelicorum et obligationum inde surgentium. In qualibet namque forma vitae consecratae determinatio observantiae consiliorum evangelicorum constituit specificam indolem eius et consequenter Instituti quod illam determinationem facit. Hoc demonstrat quanta cautela et prudentia huiusmodi determinatio facienda sit. Necessarium est imprimis ut Institutum et eius auctoritas competens plane cognoscant vocationem et charisma Instituti. Quae cognitio acquiri non potest nisi humili oratione et assiduo studio propositi fundatoris et missionis apostolicae ab Ecclesia recognitae et Instituto concreditae. Oportet ut prae oculis habeantur, et nota peculiaris «saecularitatis», quae characterem specialem istis Institutis confert, et conditiones vitae quas ex una parte saecularitas postulat et in quibus ex alia sodales vitam coguntur et etiam missionem suam apostolicam exercere debent.

c) Ex dictis planum est in huiusmodi Institutis, salvis semper obligationibus fundamentalibus quae ex acceptatione consiliorum evangelicorum fluunt, necnon determinationibus quae indolem specificam Instituti constituunt, sat latam flexibilitatem relinquendam esse sodalibus in applicandis principiis suaे particulari vitae conditioni. De his omnibus cavere debent statuta particularia.

10.

CANON TERTIUS

§ 1. Instituta Saecularia sunt clericalia vel laicalia.

§ 2. Sodales clericorum Institutorum, qui ante cooptationem definitivam in aliqua dioecesi incardinationem habebant, eam retinent et dependentiam in apostolatu exercendo a proprio Ordinario loci servant; de ceteris vero clericis his Institutis inscriptis provideat ius particulare.

Notae:

a) Divisio Institutorum Saecularium in clericalia et laicalia fundatur in facto historicum quod a nemine negari potest. Plura namque sunt Instituta Saecularia ad primam vel ad alteram speciem pertinentia ab auctoritate ecclesiastica competenti approbata, immo etiam a Sede Apostolica. Quare divisio haec in nostro schemate ignorari non potuit. Abs dubio existentia Institutorum Saecularium laicalium intelligi potest. Consonum enim est pro iis laicis, qui impulsu sentiunt sese consecrandi per professionem trium consiliorum evangelicorum absque mundi derelictione, ut sese adscribant in aliquo Instituto huius generis. Sed etiam in favorem Institutorum Saecularium clericalium argumenta non parvipendenda afferri possunt. Habetur imprimis erectio vel approbatio ex parte auctoritatis competentis Ecclesiae. Deinde dicendum est «saecularitatem» quae notam distinctivam constituit horum Institutorum, cum «laicitate», seu statu illorum qui clerici non sunt, confundendam esse. Sicut iam expositum est supra, huiusmodi «saecularitas» importat consecrationem quae non exigit ullam separationem materialem a mundo, immo postulat ut servetur ratio vitae temporalis communis aliis christifidelibus et absque ullo signo externo consecrationis. Ita etiam activitas apostolica fit in saeculo et ex saeculo ut societas tota fermentetur et imbuanatur spiritu evangelico. Haec autem vitae methodus aptari potest etiam sodalibus clericis, qui praeter missionem propriam clericalem, etiam illam communem cum sodalibus laicis exercere possunt et debent.

b) Quando clerici dioecesani vel alii qui incardinationem in aliqua dioecesi iam habebant antequam ad cooptationem definitivam in Instituto Saeculari admissi sunt, illam non deperdunt, sed in illa dioecesi manent incardinati et in exercendo apostolatu ab illo Ordinario loci dependent (naturaliter dummodo sint intra eius territorium). Si vero quis uti laicus recipitur in Institutum et post cooptationem definitivam ad statum clericalem transit potest incardinationem in aliqua dioecesi acquirere, si Institutum de quo agitur in propriis statutis hoc permittit vel imponit; secus nulla habetur incardinatio sed mera adscriptio Instituto per cooptationem definitivam. Hanc informationem habui circa decisiones latae a Commissione Pontificia circa Instituta Saecularia.

c) Consultoribus Parvi Coetus inopportunum visum est alios canones addere praecedentibus, quia tunc legislatio difficulter posset aptari Institutis ita diversis sicut sunt Instituta Saecularia, ut supra expositum est.

III. DE DEPENDENTIA INSTITUTORUM PERFECTIONIS AB ECCLESIASTICA AUCTORITATE

11. Iam supra expositum est (cf. n. 3) motivum inserendi paucos canones, qui de exemptione Institutorum perfectionis eorumque sodalium tractare debent, in Titulum II Partis Primae Schematis Generalis qui suprapositam habet rubricam. Iter secutum ad hanc determinationem faciendam a me Relatore et a Consultoribus Parvi Coetus nec facile nec breve fuit. Necessarium erat bene ponderare quaestionem illamque inspicere qualibet ex parte. Post longas discussiones, Consultores Parvi Coetus edixerunt locum veluti naturalem pro canonibus de exemptione tractantibus inter illos esse qui de dependentia Institutorum ab ecclesiastica Auctoritate agunt. Exemptio enim Instituta vel sodales eximit in aliquo gradu a potestate Ordinarii loci illaque ponit sub directa et plus minusve exclusiva potestate Sedis Apostolicae, vel alias Auctoritatis, secundum determinationem Summi Pontificis. Etiam psychologice convenit ut de exemptione paucae normae quae necessariae vel utiles apparent hic tradantur. In praesenti conditione rerum et considerata ea quae Patres Concilii nobis trahiderunt de exemptione Institutorum (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 45; Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 3-4; Decr. *Ad Gentes divinitus*, n. 30; Decr. *Inter Mirifica* n. 20), opportunum visum non est nimiam emphasim facere in exemptione Institutorum vel sodalium vel aliquam sectionem speciale huic quaestioni reservare. Sufficit proinde — saltem iuxta opinionem Consultorum Parvi Coetus — principium possibilitatis exemptionis ex parte Summi Pontificis cuiuslibet Instituti perfectionis et cuiuslibet sodalis hic statuere. Evidenter illa Instituta quae exemptionem iam adepta sunt, sive a iure sive per speciale privilegium Summi Pontificis, eam retinent.

Propter rationes supra expositas, Consultores Parvi Coetus decreverunt melius esse insistere in statuenda interna autonomia omnium Institutorum perfectionis ab indebitis ingerentiis cuiuscumque. Haec namque Instituta eorumque sodales non parum turbant et non raro detrimentum sat grave causare possunt; potissimum si ille qui absque vera iusta causa in vitam internam Instituti sese ingerit illud Institutum bene non cognoscit et quoad indolem, et quoad internam organizationem, et quoad ius eius particulare, et quoad finem et missionem apostolicam, et tandem quoad historicam eius evolutionem et sanas traditiones. Ceterum, *Instituta perfectionis omnia cum speciales associationes sint fidelium ad specificum finem ab Ecclesia erectae, approbatae et commendatae, ius habent ad vitam suam normaliter*

et pacifice agendum. Auctoritas altior illa quae intra Institutum habetur abstinere debet a qualibet actione quae vitam internam Instituti tangit, nisi sit necessarium vel admodum utile pro ipso Instituto aut pro Ecclesia. Hoc postulat principium subsidiarietatis cuius applicatio non modo admissa est sed et commendata et etiam imposita. Dicitur enim in principio 5 quod recognitionem Codicis Iuris Canonici dirigere debet quodque appellatur: «*De applicando principio subsidiarietatis in Ecclesia*»: «*Propugnat* (principium subsidiarietatis) *vero convenientiam vel necessitatem providendi utilitati praesertim institutionum singularium tum per iura particularia ab iisdem condita tum per sanam autonomiam regiminis potestatis executivae illis recognitam*». (*Communicationes*, I, 1969, Principium 5, p. 81). Quapropter unus canon in hunc titulum introductus est quo ista autonomia Institutorum sancitur et in tuto ponitur.

12. Uti constat ex relationibus conclusivis sessionum quartae et quintae nostri Coetus Studiorum (cf. Relationem Sessionis V, pp. 70-74),¹ maior pars canonum, qui in schemate nunc proponendo inveniuntur, iam illis in sessionibus approbata fuit. Consequenter isti canones non erunt amplius examinandi vel discutiendi nisi interim emendati fuerint a Parvo Coetu ut coordinentur cum novis canonibus qui inserendi sunt. Aliquando emendationes quaedam veluti postulatae erant ex nova luce quae emiserat ex discussionibus habitis in sessionibus subsequentibus. Et hae quoque perpendendae sunt a Coetu nostro in hac sessione. Item, uti dictum est supra (cf. n. 4), terminologia usitata a nostro Coetu Studiorum in canonibus approbatis huius Tituli II est stricte religiosa, quia tunc Coetus noster veniebat sub appellatione: «*De Religiosis*». Mutatio appellationis facta est immediate postea. Cum autem canones istius Tituli II: «*De dependentia Institutorum ab Ecclesiastica Auctoritate*», fere omnes iterum perpendendi sint in hac sessione vel quia *novi* sunt vel quia *emendationem aliquam* interim habuerunt, opportunum mihi videtur etiam — nacta occasione — quaestionem de mutatione terminologiae eodem tempore examinare. Ita postea examen terminologiae restringetur ad canones in tertia sessione approbatis.

Ad claritatem processus in hac parte habendam, sequens erit methodus adhibenda. Quando agitur de canone novo in Titulum II inserendo, hoc clare indicatur per verbum *novus* et textus canonis ponitur in parte *dextera* paginae, relinquendo vacuam partem sinistram. Si vero agatur de canone iam approbato, in quem tamen emendationes vel mutationes terminologiae introducendae proponuntur, in parte *sinistra* paginae ponitur

¹ Cf. *Communicationes*, XXV, 1993, 266-268.

textus iam antea approbatus et in parte dextera textus iam emendatus a Consultoribus Parvi Coetus. En igitur canones Tituli II examini et approbationi — si ita placuerit — Rev.morum Consultorum nostri Coetus Studiorum.

13. CANON PRIMUS (novus) (in Schemate Generali est 14)

Competentis Ecclesiae Auctoritatis est, duce Spiritu Sancto, evangelicorum consiliorum praxim legibus moderari, ea interpretari atque stabiles inde vivendi formas canonica approbatione constituere ut secundum spiritum fundatorum crescant et florent.

Notae:

- a) In hoc canone statuitur principium dependentiae totius vitae per professionem consiliorum evangelicorum consecratae a competenti Ecclesiae Auctoritate. Debet ut in initio huius Tituli ponatur hoc principium de omnimoda potestate quam Ecclesia habet moderandi vitam consecratam et invigilandi ne errores vel abusus in doctrinam vel in praxim admittantur.
- b) Canon fere ad verbum sumptus est ex n. 45 Const. Dogm. *Lumen Gentium* et spiritum refert n. 45 eiusdem Constitutionis dogmaticae.
- c) Sufficienti cum claritate indicantur in canone, et actio divina quae Ecclesiam movet ad agendum in hac delicata materia, et actio ipsius Ecclesiae circa consilia evangelica et Instituta perfectionis, etsi haec actio non modo exhaustivo exponatur, et actio fundatoris qui est causa efficiens alicuius stabilis vivendi formae vitae consecratae, licet dumtaxat materialiter. Formaliter enim causa efficiens Instituti perfectionis est Auctoritas competens Ecclesiae per decretum erectionis vel approbationis.

14.

CANON SECUNDUS

§ 1. Instituta religiosa,

— utpote constituta in Ecclesia ad aedificationem et incrementum pressius suo modo fovendo totius mystici Corporis Christi,

§ 1. Instituta perfectionis, utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitium speciali modo dicata, Supremae eiusdem Ecclesiae Auctoritati peculiari ratione subduntur.

vel

– utpote ad Dei Ecclesiaeque servitium speciali titulo dicata, Supremae Auctoritati (Ecclesiae) peculiari ratione subduntur.

§ 2. Singuli autem religiosi eisdem Auctoritati etiam vi voti oboedientiae parere tenentur.

§ 2. Singuli sodales Summo Pontifici parere tenentur etiam ratione consilii oboedientiae.

Notae:

a) Ut patet ex textu canonis in Sessione IV approbato (qui est in parte sinistra paginae), Consultores tunc unicam formulam non invenerunt in qua omnes concordarent et propterea duas formulationes § 1 huius canonis in actis proposuerunt, postea iterum examinandas ut una earum seligeretur vel alia formula inveniretur.

b) Consultores Parvi Coetus rem profunde investigaverunt et decreverunt se Coetui Studiorum proponere velle formulationem § 1 supra positam in dextera parte paginae. Haec substantialiter concordat cum altera formulatione antea approbata. Ex prima formulatione mutuatur verbum «totius». Necessarium enim apparet affirmare Instituta perfectionis omnia speciali modo dicata esse servitio «totius Ecclesiae», etsi habere possint scopum vel finem specificum restrictum. Sunt enim omnia *entia ecclesiastica*. In priori formulatione dicebatur quod Instituta perfectionis sunt «speciali titulo» Dei totiusque Ecclesiae servitio dicata. Haec verba mutata sunt in sequentia: *speciali modo*. Videtur quod sodales, propter professionem consiliorum evangelicorum «speciali titulo» consecrantur servitio Dei et Ecclesiae. Non autem Instituta, etsi ratione professionis sodalium «speciali modo» Servitio Dei et Ecclesiae dedicantur. Si tamen non placet, faciliter mutari potest quia nulla gravis habetur difficultas.

c) Approbatio § 2 uti formulata fuit in Sessione IV protractam discussionem postulavit. Attamen Consultores Parvi Coetus necessarium duxerunt redire ad formulam antea propositam, quae erat illa can. 499, § 1. Oboedientia enim non promittitur neque praestari potest auctoritati indefinitae vel collegiali.

d) Tandem terminologia stricte religiosa quae in canone approbato apparebat mutata est eo sensu ut concordari posset cum novo titulo huius partis iuris recognoscendi.

15.

CANON TERTIUS (16) (novus)

§ 1. Omnibus Institutis illa autonomia vitae et praesertim regimini agnoscenda est qua gaudeant

in Ecclesia propria disciplina, proprio, si casus ferat, liturgico usu atque integrum servare valeant suum patrimonium doctrinale et spirituale.

§ 2. Apostolicae Sedis necnon Episcoporum est hanc autonomiam sancire et in tuto servare.

Notae:

a) Sicut iam expositum est supra (cf. n. 11), canon iste magni momenti est pro Institutis perfectionis cuiusvis generis et potissimum pro iis quae exemptionem adepti non sunt. Sicut quaelibet associatio inter homines, ita etiam, et forsitan magis propter totalem dedicationem sodalium servitio Dei et Ecclesiae, Instituta perfectionis indigent illa interna libertate vel autonomia qua vitam et activitatem suam ordinare possunt sicut postulatur a propria peculiari indole, a proprio fine, a propriis consuetudinibus et traditionibus atque a peculiaribus adjunctis in quibus sodales vitam agere et operari debent. Etiam in hac parte, ex applicatione principii subsidiarieratis, fluit quod Institutum liberum debet relinqui ut suam vocationem adimpleat modo suo. Auctoritas altior non solum non debet, per indebitas ingerentias illud impedire vel evolutionem et actionem suam retardare, sed illud adiuvare ut melius et celerius ad perfectionem pertingat et missionem suam in Ecclesia compleat. Abs dubio, in actione apostolica, quae curam animarum complectitur, normae datae ab Auctoritate competenti ecclesiastica adamussim a sodalibus servandae sunt. Sed etiam in hoc ut Institutum et sodales detrimentum non patientur, Auctoritas competens et praesertim Episcopi attendere debent ut apostolatus a sodalibus exercitus sit semper conformis cum indole et fine Instituti seu cum eius charismate et fiat semper sub potestate priorum moderatorum. En ratio quare in alio canone (cf. infra can. 24) dicitur Ordinariis loci ut conventus promoveant cum moderatoribus, praesertim maioribus, circa opera apostolatus a sodalibus complenda. Requiritur etiam vigilantia ex parte Auctoritatis ecclesiasticae competentis, secundum diversam conditionem iuridicam Institutorum, ut abusus praeveniantur vel cohibeantur. Haec tamen actio prudenter exercenda est et sese restringere debet ad casus ubi auctoritas interna negligens vel impotens est.

b) Huiusmodi autonomia respicere debet quammaxime ordinationem vitae et modum regiminis ita ut in Instituto haberi possit disciplina indoli et fini Instituti apte accommodata. Nominatur etiam usus liturgicus proprius, qui non raro nexus habet intimos cum charismate Instituti.

c) Consulto hic nominatur «patrimonium doctrinale et spirituale» Instituti, eiusque integritas ponitur tamquam effectus salutaris sanae autonomiae. Non pauca sunt Instituta quae ob nimiam uniformitatem, praesertim in iure particulari, ipsis commendaram et veluti impositam et propter indebitas ingerentias eorum qui Institu-

ta bene non cognoscebant, propriam identitatem et spiritum necnon traditiones deperdiderunt. Patres Concilii clare edixerunt bonum Ecclesiae exigere ut quodlibet Institutum suam identitatem in Ecclesia inveniat et firmiter teneat et ut servetur spiritus Fundatoris et ea omnia quae patrimonium Instituti constituunt (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 2, b).

d) Ex iis quae dicta sunt circa applicationem principii subsidiarieratis, fluunt quae dicuntur in § 2 huius canonis. Si in bonum Ecclesiae cedit ut Instituta suam identitatem et suum patrimonium servent, logice sequitur Sanctam Sedem et Episcopos cavere debere ut Instituta autonomiam requisitam habeant quae medium optimum est ad illa servanda.

16.

CANON QUARTUS (17) (novus)

Quo melius Institutorum bono atque apostolatus necessitatibus provideatur, Summus Pontifex, ratione sui in universa Ecclesia primatus, Instituta perfectionis, immo et eorumdem sodales, ab Ordinariorum loci iurisdictione eximere potest sibique soli vel alii ecclesiasticae auctoritati subiicere.

Notae:

a) Canon iste, cuius verba pro maxima parte ex n. 45 Constitutionis Dogmaticae *Lumen Gentium* desumpta sunt, simul cum Patribus Concilii declarat potestatem Summi Pontificis subducendi Instituta perfectionis et eorum sodales a iurisdictione Ordinariorum loci eaque subiiciendi sibi vel alii auctoritati ecclesiasticae. Finis huius exemptionis est duplex. Primus est indicatus in citato numero Const. Dogm. *Lumen Gentium*, ubi dicitur: «Quo melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur». Exemptio namque Institutis et sodalibus conceditur ex una parte ut sodales sint magis disponibilis ad opera apostolatus exercenda ubi necessitas magis urget et ubi Summus Pontifex illos mittere decernit. Alter scopus ita exprimitur ab iisdem Patribus Concilii in Decreto *Christus Dominus*, n. 35, 3: «Exemptio... ordinem Institutorum internum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur».

b) Consultores Parvi Coetus opportunum non crediderunt alios canones circa exemptionem in hunc Titulum II inserere. Sufficit principium statuere possibilitatis exemptionis pro omnibus Institutis perfectionis. Etsi Instituta quae a iure vel per privilegium exemptionem adepti sunt eam retineant, concessio exemptionis semper exi-

git actum positivum Summi Pontificis, qui in actu concessionis potest etiam ambitus eius definire. Sicut apparet ex documentis conciliaribus et potissimum ex Decr. *Christus Dominus* n. 35, 4, exemptio vix ullum habet influxum in exercitio operum apostolatus in favorem populi Dei. Importat utique exemptio in moderatoribus plenioram participationem potestatis ecclesiasticae et eius liberum exercitium, sicut dicitur infra in can. 25, § 3, sed in eius aspectu «ad intra» ipsorum Institutorum ea vix differt ab interna autonomia de qua in canone praecedenti, licet per exemptionem prohibitio quae Ordinariis loci fit sese intromittendi in vita interna et disciplina Institutorum est positiva et a iure sancita.

17.

CANON QUINTUS (18)

Religiosi auctoritati etiam Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris subduntur.

Institutorum sedes et sodales subduntur auctoritati Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris.

Notae:

a) In hoc canone mutationes notabiles factae non sunt. Additum est quod non solum sodales horum Institutorum subduntur Episcopis, etc., sed etiam sedes seu domus, ubi habeantur. Nam, ad normam canonis sequentis, Ordinarius loci habet ius visitandi etiam sedes et in canone 23 ei datur facultas visitandi sedes Instituti iuris pontificii restrictive tamen ad publicum exercitium cultus divini et ad opera externa apostolatus. Ambitus vero subiectionis sodalium et sedium Conciliis et Conferentiis Episcoporum determinari debet ubi competentia tam Conciliorum pleniorum, regionalium et provincialium quam Conferentiarum Episcoporum definiri debet.

b) Terminologia religiosa substituitur per aliam magis generalem quae melius applicati potest omnibus Institutis eorumque sodalibus. Loco domus adhibetur vocabulum «sedes», quod convenit etiam aedibus quae a quibusdam Institutis Saecularibus possidentur pro conventibus sodalium sed in quibus nulla communitas inhabitat.

18.

CANON SEXTUS (19)

In regendis Institutis iuris dioecesani, utpote suae peculiari curae et vigilantiae concreditis, Ordinario loci, praeter ea quae in

In regendis Institutis iuris dioecesani, utpote suae peculiari curae et vigilantiae concreditis, Ordinario Loci salvo semper iure

aliis canonibus statuuntur, competit:

- 1) Constitutiones Instituti approbare;
- 2) Immutationes in Constitutionibus eiusdem Instituti a Capitulo generali propositas approbare, salvis iis in quibus Apostolica Sede manus iam apposuerit;
- 3) Dispensationes a Constitutionibus singulis in casibus et per modum actus dare;
- 4) Visitare domos Instituti in suo territorio sitas quoties visitationem pastoralem ibi peragit, necnon cum rationes vere peculiares suo iudicio id requirant;
- 5) Servata religiosa disciplina et de consensu competentis superioris religiosi, sodales domorum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere, quae cum indole propria et fine specifico Instituti congruant.

communi, competit:

- 1) statuta iuris particularis, de quibus in can. 92 § L, approbare;
- 2) immutationes in eisdem a Capitulo Generali Instituti propositas confirmare, salvis iis in quibus Apostolica Sede manus iam apposuerit;
- 3) dispensationes a praescriptis iuris particularis legitime petitas singulis in casibus et per modum actus dare;
- 4) visitare coetus Instituti eorumque sedes, si habeantur, in suo territorio sitas, quoties visitationem pastoralem ibi peragit, necnon cum rationes vere peculiares suo iudicio id requirant;
- 5) servata Instituti disciplina et de consensu competentis moderatoris, sodales coetuum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere quae cum indole propria et fine specifico eiusdem Instituti congruant.

Notae:

- a) In sua novissima forma canon demonstrat mutationes indolis terminologicae, quae necessario erant introducenda ob mutationem appellationis generalis totius Schematis. Ita Constitutiones nunc vocantur «ius particulare», domus fit «sedes» et communitas mutatur in «coetum». Superior vero religiosus cognoscitur uti «moderator Instituti perfectionis».
- b) In parte introductory canonis, propositio «praeter ea quae in aliis canonibus statuuntur», mutata est, utpote simpliciorem, in sequentem: *salvo semper iure comuni*. Sensus tamen idem est.
- c) Prima et potior competentia Ordinarii loci in vita interna Instituti perfectio-nis iuris diocesani ita exprimebatur in prima formulatione: (1º) Constitutiones Instituti approbare». Haec tamen necessario erat mutanda et corrigenda post promulgationem Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*. Ibidem enim normae dantur ad distinguendum

inter ea quea in Codice fundamentali seu Constitutionibus ponenda sunt et ea quea in codicibus additiciis seu Directorio includenda (cf. II, Pars, I, nn. 12-14). Illa tantum et non haec indigent approbatione, in hoc casu, Ordinarii loci (cf. *ibid.*, n. 8). In nostro autem Schemate haec norma directiva sancita est in canone 92. Quapropter, n. 1º mutatus est uti apparet in novissima formulatione: « 1º) *statuta iuris particularis, de quibus in can. 92, § 1, approbare*».

d) In n. 3º additur: *legitime petitas ad vitandas dispensationes datas ab Ordinario loci, insciis vel contradicentibus moderatoribus Instituti.*

19.

CANON SEPTIMUS (20)

Cum Institutum religiosum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario domus principis (generalitiae) competit:

1) approbare immutationes constitutionum de quibus in canone 3, n. 2, consultis singulis Ordinariis in quorum dioecesibus Institutum aedes habet;

2) dispensationes concedere de quibus in canone 3, n. 3.

Cum Institutum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario loci sedis principis competit:

1) confirmare immutationes in statuta iuris particularis induc-tas, de quibus in can. 19, n. 2º, consultis singulis Ordinariis loci in quorum dioecesibus Institutum sedes vel coetus habet;

2) dispensationes concedere de quibus in can. 19, n. 3º.

Nota:

Uti ex comparatione primae formulationis cum altera clare apparet, mutationes, quae in hunc canone inducate sunt, restringuntur ad illas terminologiae. Mutatio numerorum exigitur ex diversa enumeratione canonum quae in Schemate nunc habetur. In n. 1º vocabulum «aedes» fit *sedes vel coetus*. Sedes ponitur ut habeatur uniformitas cum aliis canonibus in hoc et in aliis Titulis; coetus vero additur quia non omnia Instituta habent «sedes seu domos».

20.

CANON OCTAVUS (21)

Ad transferendam domum principem Instituti religiosi iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indi-

Ad transferendam sedem principem Instituti iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensu tam

get consensu tam Ordinarii loci, a quo translatio fit, quam illius loci ad quem domus princeps transfertur.

Ordinarii loci a quo translatio fit quam illius loci ad quem sedes princeps transfertur.

Nota:

Etiam in hoc casu habentur dumtaxat quaedam mutationes terminologiae. Proinde nihil hic est adiungendum.

21.

CANON NONUS (22)

§ 1. Instituta religiosa iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiiciuntur in regimine interno et religiosa disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum Institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque Instituti propriae et servata religiosa disciplina.

§ 1. Instituta iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiiciuntur in regimine interno et disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum Institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque Instituti propriae et servata eiusdem Instituti disciplina.

Nota:

Idem dicendum est circa hunc canonem quod iam dictum circa canonem praecedentem.

22.

CANON DECIMUS (23)

Ordinarii loci ius et officium est domos Institutorum religiosorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium divini cultus

Ordinarii loci ius et officium est sedes Institutorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium cultus divini et ad opera ex-

et ad opera externa apostolatus,
tempore visitationis pastoralis et
quoties graves causae id suadeant.

terna apostolatus, tempore visita-
tionis pastoralis et quoties graves
causae id suadeant.

Nota:

Nullum est commentarium hic adiungendum propter idem motivum in notis ad-
ditis tribus praecedentibus canonibus expositum.

23.

CANON DECIMUS PRIMUS (24)

Ordinarii locorum conventus
promoveant cum Superioribus re-
ligiosis, praesertim maioribus, stat-
tis temporibus et quoties id op-
portunum videbitur, ut pro operi-
bus apostolatus quae a religiosis
exercentur, consiliis mutuo inter
se collatis procedant.

Ordinarii locorum conventus
promoveant cum moderatoribus,
praesertim maioribus, statis tem-
poribus et quoties id opportunum
videbitur, ut pro operibus aposto-
latus quae a sodalibus exercentur,
consiliis mutuo inter se collatis
procedant.

Nota:

Etiam hic mutationes sunt mere terminologicae.

24. Undecim suprapositis canonibus legislatio circa dependentiam In-
stitutorum perfectionis ab ecclesiastica Auctoritate expletur. Consultores
Parvi Coetus et ego necessarium non duximus alios canones adiungere.
Etenim, in hoc Titulo II materia videtur sufficienter tractata. Ex una parte
statuitur competentia et omnimoda potestas Ecclesiae circa consilia evan-
gelica atque principium subiectionis Institutorum Perfectionis Supremae
eiusdem Auctoritati et ex alia firmiter statuitur exigentia relinquendi omni-
bus Institutis illam aequam autonomiam, quae eis videtur necessaria ad vi-
tam agendam et activitatem propriam normaliter perficiendam. Possibilitas
etiam sancitur pro Summo Pontifice eximendi Instituta a iurisdictione Or-
dinariorum loci et auctoritas istorum determinatur pro qualibet categoria
Institutorum.

Roma, die 25 mensis martis 1974.

P. MARCUS SAID O.P.

Relator

Adnexum III**RELATIO INTRODUCTIVA DECIMA QUARTA**
(continuatio)**IV. DE MUTATIONIBUS, PRAESERTIM TERMINOLOGICIS,
QUAE IN SCHEMA CANONUM INTRODUCENDAE
PROPONUNTUR**

25. Rationes introducendi mutationes quasdam in canones iam a nostro Coetus Studiorum approbatos supra illustravi (cf. n.4). Non est igitur cur repeatantur. Opportunum tamen est hic methodum procedendi in hac parte exponere ad difficultates et confusiones vitandas. Pro commoditate Rev.morum Consultorum universi canones Schematis « De Institutis Perfectionis » hic ponentur ordinatim, secundum divisionem propositam. Ita Consultores visionem integrum et generalem totius legislationis propositae faciliter habere poterunt. Canones in quos nulla emendatio vel mutatio introducenda proponitur per totam paginae latitudinem ponentur absque ullo commentario. Ubi vero emendationes vel mutationes introducenda proponuntur, sive mere terminologicae sive alterius generis sint, ad sinistram paginae partem prior textus canonis ponetur, dum textus emendatus vel mutatus ad partem dexteram paginae collocabitur. Comparatio textuum facilis erit legentibus. Ad meliorem intelligentiam emendationum vel mutationum breves notae adiungentur, ubi oportebit. Canonibus praeponetur « Schema Generale: De Institutis Perfectionis », sicut a Coetu approbatum est. Omnes Rev. mi Consultores nostri Coetus humaniter et instanter rogantur ut integrum Schema canonum attente considerent et explorent. Prae oculis habeant tam « substantiam », ut videant si aliquid desit vel expungendum sit, quam « formam », praesertim quod attinet ad vulgo dictam « punteggiatura » et ad usum literarum grandium (lettere maiuscole).

26. SCHEMA GENERALE IURIS RECOGNOSCENDI:
« DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

Canones praeliminares generales.

Pars prima
« DE IIS QUAE INSTITUTIS PERFECTIONIS SUNT COMMUNIA »

- Titulus I: De Institutorum eorumque partium constitutione.
Titulus II: De Institutorum dependentia ab Ecclesiastica Auctoritate.
Titulus III: De Institutorum regimine.
Titulus IV: De Institutorum bonis temporalibus eorumque administratione.
Titulus V: De admisione in Institutum.
 Art. 1: De requisitis ad candidatos recipiendos.
 Art. 2: De receptorum institutione.
 Art. 3: De cooptatione in Institutum.
 Art. 4: De cooptatorum institutione.
Titulus VI: De Istitutorum obligationibus eorumque sodalium.
Titulus VII: De separatione ab Instituto:
 Art. 1: De transitu ad aliud Institutum.
 Art. 2: De egressu ab Instituto.
 Art. 3: De dimissione ab Instituto.
 Art. 4: De conditione iuridica separatorum ab Instituto.

Pars secunda
« DE IIS QUAE SINGULIS INSTITUTORUM GENERIBUS SUNT PROPRIA »

Canones praeliminares.

- Titulus I: De Institutis Religiosis
 Cap. I: De Institutis Monasticis
 Art. 1: De Monachis
 Art. 2: De Monialibus
 Cap. II: De Institutis operibus apostolatus deditis
 Art. 1: De Institutis Canonicalibus
 Art. 2: De Institutis Conventualibus
 Art. 2: De Institutis Apostolicis
Titulus II: De Institutis vitae apostolicae consociatae
Titulus III: De Institutis Saecularibus

Nota:

Usque ad praecedentem Sessionem nostri Coetus Studiorum, rubrica Tituli I, Partis Primae ita inscribebatur: «*De erectione, fusione, suppressione Institutorum eorumque partium*». Exemplar huius rubricae fuit illa Titulo IX, Partis II, Libri II Codicis vigilis praeposita. In ultima tamen adunatione Parvi Coetus, Consultoribus rubrica Tituli I nimis longa apparuit ac propterea illam proposuerunt quae nunc inscribitur pro Titulo I: *De Institutorum eorumque partium constitutione*. Verbum nempe generale «constitutio» omnes actus indicatos complectitur sive positive sive negative.

CANONES PRAELIMINARES GENERALES

27.

CANON 1

§ 1. Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata est stabilis vivendi forma qua fideles, Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter dedicantur, ut in Eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur et praclarum in Ecclesia signum effecti coelestem gloriam praenuntiant.

§ 2. Quam vivendi formam in Institutis perfectionis, Spiritu Sancto afflante conditis et a competenti Ecclesiae auctoritate canonice etercis, libere assumunt christifideles, qui per vota aut alia sacra ligamina, iuxta proprias Institutorum leges, consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servanda profitentur et per caritatem, ad quam eadem ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniunguntur.

Nota:

In § 2 huius primi canonis, in priori eius formulatione, inveniebatur verbum «*consociati*» post explicitam mentionem trium consiliorum evangelicorum, nempe: «... consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servanda *consociati* profitentur...». Verbum huiusmodi ex canone expungitur quia in hoc primo generali canone sensum restrictivum et aequivocum sumere potest pro vita communi, Deinde oportet vitare confusionem cum categoria Institutorum quae veniunt sub titulo: «Instituta vitae apostolicae consociatae».

28.

CANON 2

§ 1. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem pertinet et ideo ab ipsa commendatur et fovetur.

§ 2. Ad hunc vitae consecratae statum christifideles, sive clerici sive laici, specialiter a Deo vocantur ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quiske modo, eiusdem missioni salvificae prosint.

Nota:

In fine § 1 huius canonis verba: «*et ideo ab ipsa commendatur et fovetur*» mutata sunt in sequentia. «*et ab omnibus in honore habendus est*». Altera namque expressio, quae ex canone 487 Codicis vigilis provenit, est magis fortis et dirigitur omnibus.

29.

CANON 3

§ 1. Consilia evangelica in Christi Magistri doctrina et exemplis fundata, donum sunt divinum quod Ecclesia a Domino accepit et gratia eius semper conservat.

§ 2. Ad Ecclesiae auctoritatem spectat, duce Spiritu Sancto, haec consilia interpretari, eorum proxim moderari, propria Instituto statuta approbare eademque Instituta sollicita cura adiuvare et promovere.

Nota:

Quando canon iste formatus erat et a nostro Coetu approbatus, canones Tiruli II: «De dependentia Institutorum ab Ecclesiastica Auctoritate» adhuc formulati non fuerunt. Quando vero Consultores Parvi Coetus considerabant quaestionem de dependentia Institutorum ab Auctoritate ecclesiastica et decisionem ferre debebant circa lo-

§ 1. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem pertinet *et ab omnibus in honore habendus est*.

cum in quo canones de exemptione et autonomia interna collocandi erant, viderunt magis opportunum principium de potestate Auctoritatis ecclesiasticae circa consilia evangelica ibi statuere, in initio Tituli II. Quare § 2 huius canonis sublata est, utpote repetitionem constituens.

30.

CANON 4

§ 1. Consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae vero profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest.

§ 2. Qui consilia evangelica profitentur, consecratione sua, neque ab hominibus alieni neque in civitate terrena inutiles fiunt, etsi quandoque coetaneis suis directe non assistunt, cum eis tamen spiritualiter cooperantur, sive oratione sive sacrificio sive evangelicum nuntium diffundendo.

§ 3. Omnes vero, etiam qui hominibus alia generose praestant servitia, aedificationem terrenae quoque civitatis ad Dominum dirigentes, Christo testimonium reddunt, ut Pater coelestis in omnibus glorificetur.

31.

CANON 5

§ 1. Institutum clericale dicitur quod, vi iuris particularis, exercitium ordinis sacri assumit et uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur.

§ 2. Institutum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per formale decretum approbatum est, iuris dioecesani quod ab Episcopo dioecesano erectum, huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.

32.

CANON 6

Quae de Institutorum perfectionis sodalibus statuuntur pari iure de utroque sexu valent, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

PARS PRIMA

«DE IIS QUAE INSTITUTIS PERFECTIONIS SUNT COMMUNIA»

Tit. I: «DE INSTITUTORUM EORUMQUE PARTIUM CONSTITUTIONE»

33.

CANON 7

§ 1. Episcopi dioecesani alii-que in iure ipsis aequiparati, Spiritus Sancti impulsus sequentes, in suo quisque territorio Instituta religiosa iuris dioecesani formali decreto erigere possunt, dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus a Sede Apostolica recognitus.

§ 2. Si agatur de Instituto religioso tertiariorum erigendo, requiritur praeterea praevius consensus Supremi Moderatoris primi Ordinis ad eiusdem legitimam aggregationem.

§ 3. In suo eliendo iudicio circa erectionem novorum Institutorum religiosorum, Conferentiae Episcoporum caveant ne multiplicentur Instituta quae fere eandem habeant naturam, finem et indolem vel similibus operibus externis incumbant.

Notae:

a) Primo loco canon in novissima forma praesefert terminologiam quae omnibus Institutis aptari potest et non tantum Institutis religiosis.

b) Aliae immutationes in canonem introductae non sunt magni momenti. Partim postulatae sunt ex diverso ambitu ipsius canonis, qui nunc normam continet omnibus Institutis Perfectionis communem, partim vero sunt formulationes breviores et agiliores.

§ 1. Episcopi dioecesani alii-que in iure ipsis aequiparati, Spiritus Sancti impulsus sequentes, in suo quisque territorio Instituta iuris dioecesani formali decreto erigere possunt, dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus a Sede Apostolica recognitus.

§ 2. Si agatur de erectione Instituti alteri aggregandi, requiritur insuper praevius consensus Supremi Moderatoris Instituti aggregantis

§ 3. In suo consensu dando circa erectionem novorum Institutorum, Conferentiae Episcoporum caveant ne in earum territorio multiplicentur Instituta quae fere eandem habeant naturam, finem et missionem.

c) In § 3 phrasis: «in suo eliendo iudicio» mutata est in sequentem: «*in suo consensu dando*», tum quia in § 1 sermo est de «consensu», tum quia ad consensum dandum praeivium iudicium ex parte Conferentiae Episcoporum semper est necessarium. Item, loco «quae fere eandem habeant naturam, finem et in dolem vel similibus operibus externis incumbant» in fine eiusdem § 3 nunc dicitur: «*quae fere eandem habeant naturam, finem et missionem*». Sensus idem est, sed in prima formulatione videntur quaedam adesse quea pleonastica sunt. Ita – etsi non strictissime – idem significare videntur verba: «natura et in doles», «missio et exercitium operum extenorū apostolatus».

34.

CANON 8

Institutum religiosum in provincias dividere, novas erigere, erectas coniungere vel aliter circumscrivere ad Capitulum generale Instituti spectat.

Dividere Institutum in partes, quocumque nomine veniant, novas partes erigere, erectas coniungere vel aliter circumscrivere ad competentem Instituti auctoritatem pertinet iuxta determinationem iuris particularis.

Notae:

a) Etiam in hoc canone emendationes fere unice ad mutationem terminologiae restringuntur. Quamvis vocabulum «provincia» non sit stricte terminus dumtaxat religiosus, visum est mihi et aliis Consultoribus Parvi Coetus melius adhibere verbum generalissimum «pars», relinquendo singulis Institutis libertatem adhibendi terminologiam sibi magis consentaneam.

b) In priori forma auctoritas competens indicatur tamquam Capitulum Generale Instituti. Sed non videtur necessarium hanc libertatis coarctationem Institutis impunere. Melius est determinationem derelinquere ipsis Institutis in proprio iure particuliari. Non pauca Instituta hoc negotium relinquunt Supremo Moderatori Instituti de consensu sui consilii.

35.

CANON 9

§ 1. Domus religiosa, sive formata sive non formata, erigenda aut constituenda est ab auctoritate competente iuxta normas in Constitutionibus statutas; dummodo

§ 1. Instituti sedes vel coetus eriguntur vel constituuntur ab auctoritate competente eiusdem iuxta normas iuris particularis, dummodo re adhuc integra con-

re adhuc integra consensus Ordinarii loci in scriptis datus iam obtentus fuerit.

§ 2. Quaevis religiosa domus erigatur aut constituatur prae oculis habita eiusdem utilitate in Ecclesia et semper in tuto ponantur quae ad vitam religiosam rite agendam iuxta proprios Instituti fines et spiritum requiruntur.

sensus Ordinarii loci in scriptis datus iam obtentus fuerit.

§ 2. Quae erectio vel constitutio fiant prae oculis habita utilitate pro Ecclesia et Instituto atque in tuto ponantur quae ad vitam consecratam sodalium rite agendam requiruntur iuxta proprios Instituti fines et spiritum.

Nota:

Uti ex comparatione textuum erui potest, canon praesefert tantum mutationes terminologicas. Evidenter distinctio inter domum religiosam formatam et non formatam hic servari non potest quia non omnibus Institutis applicari potest. Sed Consultores Parvi Coetus non duxerunt opportunum illam distinctionem servare neque in Secunda Parte Schematis Generalis ubi sermo fit « De Institutis religiosis ». Nihil tamen impedit quin huiusmodi distinctio servetur in iure particulari Institutorum praesertim religiosorum. Loco phrasis « religiosa domus » adoptata est haec: « *Instituti sedes vel coetus* ». Plurima enim Instituta habent domos sed quaedam non habent, et membra, quae ad vitam communem agendam non obligantur, coetus vel communitates sui generis constituere possunt. Hac ratione moti, consultores Parvi Coetus adoptarunt vocabula generalissima: « *sedes* » vel « *coetus* » quae omnibus formis adaptari possunt.

36.

CANON 10

§ 1. Consensu Ordinarii loci ad erigendam domum religiosam secumfert facultatem:

1) vitam religiosam ducendi secundum propriam indolem, fines specificos et media peculiaria Instituti;

2) item opera Instituto propria exercendi ad normam iuris, salvis conditionibus in consensu praestito appositis et acceptatis.

§ 2. Praeterea, pro Institutis clericalibus, facultatem habendi

§ 1. Consensus Ordinarii loci ad erigendam sedem Instituti secumfert facultatem:

1) vitam ducendi secundum indolem propriam, fines specificos et media peculiaria Instituti;

2) opera Instituto propria exercendi ad normam iuris, salvis conditionibus in consensu praestito appositis et acceptatis.

§ 2. Preterea, pro Institutis clericalibus, facultatem habendi

ecclesiam vel oratorium publicum domui adnexum, salvo praescripto can. 1162, § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis.

Nota:

Etiam in hoc canone non habentur aliae emendatione nisi quae a mutatione ambitus Schematis Generalis postulantur. Vocari igitur possunt mutationes terminologicae. In § 2 omittuntur verba: *domui adnexum* quia non omnia Instituta habent domos et non semper ecclesia vel oratorium publicum sunt domui adnexa.

37.

CANON 11

§ 1. Immutationes in Institutis religiosis ea affientes quae Sedi Apostolicae subiecta fuerunt fieri nequeunt sine eiusdem beneplacito.

§ 2. Ut domus religiosa ad opera apostolica diversa ab illis pro quibus constituta est destinatur, requiritur consensus Ordinarii loci nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam dumtaxat referatur.

Nota:

Sicut dictum est pro canone praecedenti, etiam in hoc canone habentur tantummodo mutationes terminologiae, quae in hoc Titulo exigentiis Institutorum dumtaxat religiosorum respondebat.

38.

CANON 12

Fusiones (uniones extinctivae) Institutorum religiosorum, sive

ecclesiam vel oratorium publicum, salvo praescripto can. (1162, § 4), et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis.

§ 1. Immutationes in Institutis perfectionis ea affientes quae Sedi Apostolicae subiecta fuerunt absque eiusdem beneplacito fieri nequeunt.

§ 2. Ut alicuius Instituti sedes ad opera apostolica diversa ab illis pro quibus constituta est destinatur, requiritur consensus Ordinarii loci, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam dumtaxat referatur.

Fusiones et uniones extinctivae Institutorum perfectionis

cum ex pluribus novum oritur sive
cum unum ad aliud accedit Sedi
Apostolicae reservantur.

uni Sedi Apostolicae reservan-
tur.

Nota:

In hoc casu habentur et una mutatio terminologiae et forma brevior eiusdem praescripti canonis. Explicatio in prima formulatione data nec necessaria appetet nec est omnino recta. Fusio enim habetur cum ex pluribus Institutis aliud novum constituitur, quod dici non potest unum ex illis quae fusa sunt. Unio extinctiva, e contra, habetur cum unum Institutum ad aliud accedit ita ut primum suam identitatem immo et suam existentiam perdat, non vero secundum.

39.

CANON 13

§ 1. Suppressio cuiuslibet Instituti religiosi legitime erecti ad unam Sedem Apostolicam spectat, cui etiam reservatur de bonis statuere.

§ 2 Provincias supprimere ad Capitulum generale Instituti religiosi pertinet secundum praescripta in constitutionibus statuta. Ei quoque reservatur de bonis provinciae suppressae statuere.

§ 3. Domus religiosa supprimi potest a Supremo Moderatore Instituti ad normam constitutionum, re attente considerata cum Ordinario loci et ipso consentiente salvoque iure recursus ad Sedem Apostolicam. De bonis domus suppressae provideant constitutiones.

§ 4. In disponendo de bonis ex qualibet suppressione obvenientibus serventur iustitiae leges et fundatorum vel offerentium voluntates.

§ 1. Suppressio cuiuslibet Instituti legitime erecti ad unam Sedem Apostolicam spectat, cui etiam reservatur de bonis statuere.

§ 2. Partes Instituti supprimere ad eiusdem Capitulum generale pertinet, secundum praescripta statutorum. Ei quoque reservatur de bonis partis suppressae statuere.

§ 3. Sedes Instituti supprimi potest a Supremo eiusdem Moderatore ad normam iuris particularis, re attente considerata cum Ordinario loci et ipso consentiente salvoque iure recursus ad Sedem Apostolicam. De bonis sedis suppressae provideant particularia statuta.

§ 4. In disponendo de bonis ex qualibet suppressione obvenientibus, serventur iustitiae leges et fundatorum vel offerentium voluntates.

Nota:

Nulla mutatio in hunc canonem introducta est praeter illam terminologicam.

**Tit. II: « DE DEPENDENTIA INSTITUTORUM AB ECCLESIASTICA
AUCTORITATE »***Nota:*

Cum de canonibus huius Tituli iam supra tractatum sit (cf. supra nn. 11-24), hic praescripta canonum simpliciter transcribuntur absque ullo commentario.

40.

CANON 14

Competentis Ecclesiae Auctoritatis est, duce Spiritu Sancto, evangelicorum consiliorum praxim legibus moderari, ea interpretari atque stabiles inde vivendi formas canonica approbatione constituere ut secundum spiritum fundatorum crescant et florent.

41.

CANON 15

§ 1. Instituta perfectionis, utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitium speciali modo dicata, Supremae eiusdem Ecclesiae Auctoritati peculiari ratione subduntur.

§ 2. Singuli sodale Summo Pontifici parere tenentur etiam ratione consilii oboedientiae.

42.

CANON 16

§ 1. Omnibus Institutis illa autonomia vitae et praesertim regiminis agnoscenda est qua gaudeant in Ecclesia propria disciplina, proprio, si causus ferat, liturgico usu atque integrum servare valeant suum patrimonium doctrinale et spirituale.

§ 2. Apostolicae Sedis necnon Episcoporum est hanc autonomiam sancire et in tuto servare.

43.

CANON 17

Quo melius Institutorum bono atque apostolatus necessitatibus provideatur, Summus Pontifex, ratione sui in universa Ecclesia primatus, Instituta perfectionis, immo et eorumdem sodales, ab Ordinariorum loci iurisdictione eximere potest sibique soli vel alii ecclesiasticae auctoritati subiicere.

44.

CANON 18

Institutorum sedes et sodales subduntur auctoritati Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris.

45.

CANON 19

In regendis Institutis iuris dioecesani, utpote perculiari curae et vigilan-
iae suea concreditis, Ordinario loci, salvo semper iure communi, competit:

- 1) statuta iuris particularis, de quibus in can. 92, § 1, approbare;
- 2) immutations in eisdem a Capitulo Generali Instituti propositas confirmare, salvis iis in quibus Apostolica Sedes manus iam apposuerit;
- 3) dispensationes a praescriptis iuris particularis legitime petitas singulis in casibus et per modum actus dare;
- 4) visitare coetus Instituti eorumque sedes, si habeantur, in suo territo-
rio sitas, quoties visitationem pastoralem ibi peragit necnon cum rationes vere peculiares suo iudicio id reaquirant;
- 5) servata Instituti disciplina et de consensu competentis moderatoris, sodales coetuum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere quae cum indole propria et fine specifico eiusdem Instituti congruant.

46.

CANON 20

Cum Institutum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario loci sedis principis competit:

- 1) confirmare immutations in statuta iuris particularis inductas, de quibus in can. 19, n. 2°, consultis singulis Ordinariis loci in quorum dioecesibus Institutum sedes vel coetus habet;
- 2) dispensationes concedere de quibus in can. 19, n. 3°.

47.

CANON 21

Ad transferendam sedem principem Instituti iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensu tam Ordinarii loci a quo translatio fit quam illius loci ad quem sedes princeps transfertur.

48.

CANON 22

§ 1. Instituta iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiiciuntur in regimine interno et disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum Institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque Instituti propriae et servata eiusdem Instituti disciplina.

49.

CANON 23

Ordinarii loci ius est et officium sedes Institutorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium cultus divini et ad opera externa apostolatus tempore visitationis pastoralis et quoties graves causae id suadeant.

50.

CANON 24

Ordinarii locorum conventus promoveant cum moderatoribus, praesertim maioribus, statim temporibus et quoties id opportunum videbitur, ut pro operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur, consiliis mutuo inter se collatis procedant.

Tit. III: « DE INSTITUTORUM REGIMINE »

51.

CANON 25

§ 1. Institutorum moderatores et Capitula sua in sodales gau-

§ 1. Institutorum moderatores et Capitula sua in sodales gau-

dent propria potestate ad normam iuris particularis et communis; in Institutis autem clericalibus polente insuper iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo.

§ 2. Moderatores omnes suam potestatem exerceant ad normam eiusdem iuris particularis et communis.

dent potestate ad normam iuris particularis et comunis; in Institutis autem clericalibus pollent insuper iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo.

§ 2. Moderatores omnes erga sodales sueae curae commissos suam adimpleant missionem et suam potestatem exerceant ad normam iuris particularis et communis.

§ 3. In Institutis exemptis ad normam can. 17, moderatores pleniores obtinent potestatis ecclesiasticae participationem et eiusdem liberum usum ad normam iuris etiam particularis exercendum. Qui autem moderatores maiores clerici sunt nomine Ordinarii veniunt.

Notae:

a) Mutationes in hoc canone inductae respiciunt potissimum effectus exemptionis Instituti de qua sermo fuit in Titulo praecedenti. Post promulgationem documentorum Concilii Vaticani II et praesertim post promulgationem Decreti *Christus Dominus* nn. 33-35, effectus exemptionis, potissimum «ad extra» non sunt faciliter identificabiles. Negari tamen non potest in Institutis exemptis moderatores obtinere pleniorum participationem potestatis ecclesiasticae, praesertim si sint clerici. Ab antiquo moderatores maiores in Institutis clericalibus exemptis inter Ordinarios adnumerati sunt.

b) In § 1 nulla mutatio habetur praeter omissionem verbi «propria». Si enim statuitur quod moderatores et Capitula gaudent «sua» potestate, inutile videtur adiungere hanc potestatem esse «propriam».

c) In § 2 legislator in lucem ponit praesertim «missionem» seu officium pastoralem moderatoris erga sodales sueae «curae» commissos. Ipse debet esse «Pater» et moderator spiritus communis. Iure vigenti iste aspectus non parum obnubilatus remanet et moderator potius appetat tamquam administrator in foro externo.

52.

CANON 26

Potestas qua singuli moderatores praediti sunt ad decernendum et praecipiendum quae agenda sunt eis a Deo conceditur non ut in subditos dominentur sed ut eis in Domino serviant ac ministrent, iuxta Christi exemplum et mandatum: «Qui maior est vestrum fiat minister vester» (Matth. 20, 26). Moderatores igitur, voluntati Dei in munere explendo dociles, ita suam auctoritatem exerceant ut caritatem qua Deus illos diligit exprimant. Subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes. Sodales eo perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur, libenter eos audiant necnon eorum conspirationem in bonum Instituti et Ecclesiae promoveant (cf. Decr. *Perfectae caritatis*, n. 14).

53.

CANON 27

Ut sodales ad munus moderatorum exercendum nominentur aut elegantur, requiritur congruum tempus a iure particulari determinandum post cooptationem perpetuam vel definitivam in Instituto transactum.

54.

CANON 28

§ 1. Supremus Instituti Moderator ad tempus definitum constituatur, nisi aliter ferat ius particulare.

§ 2. Alii moderatores ad certum temporis spatium constituantur, iuxta naturam et necessitates Instituti definitum, quo exacto confirmari possunt; in eodem tamen munere ultra novennium ne permaneant.

§ 3. Ad bonum totius Instituti, ad suavitatem regiminis et ad spiritualem ipsorum sodalium profectum, ius particulare aptis normis provideat ne moderatores, de quibus in § 2, diutius in regiminis officiis versentur; ita ut, peracta gubernationis periodo ab eodem iure particulari definienda, moderatoris officium nonnisi post aliquos annos denuo assumere valeant.

55.

CANON 29

§ 1. Supremus Instituti Moderator electione canonica designetur ad normam iuris particularis.

§ 2. Alii moderatores maiores ad normam eiusdem iuris particularis designentur; ita tamen ut si elegantur, confirmatione Supremi Moderatoris semper indigeant; si vero nominentur, ampla et apta consultatio praecedat.

§ 3. Moderatores minores ad normam eiusdem iuris particularis constituantur.

56.

CANON 30

Sodales omnes, nihil praeter Deum et bonum Instituti p[re]oculis habentes, in omnibus electionibus normas iuris communis et particularis adamassim servent et eligere satagant quos in Domino vere dignos et magis idoneos pro officiis agnoscant, abstinentes a quovis abusu et potissimum a suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.

57.

CANON 31

§ 1. Quo melius Institutorum communio cum Sede Apostolica foveatur, statutis ab eadem temporibus, Supremus Moderator brevem conspectum status et vitae Instituti eidem Apostolicae Sedi mittat.

§ 2. Cuiuslibet Instituti moderatores promoveant notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis quae sodales sibi concreditos respiciunt.

58.

CANON 32

§ 1. Moderatores Institutorum a iure particulari ad hoc munus designati obligatione adstringuntur sedes, coetus et sodales sibi commissos visitandi iuxta normas eiusdem iuris particularis.

§ 2. Sodales cum visitatore fiducialiter agant, cui legitime interroganti respondere tenentur secundum veritatem in caritate; nemini vero fas es quoquo modo sodales ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.

Nota:

In priori formulatione huius canonis verba § 1: *sedes, coetus* erant unita sub vocabulo: *domos*. Cohaerenter ad mutationes quae factae sunt in Titulis praecedentibus

etiam hic verbum «domus» vitatum est, quia non bene concordat et applicari potest ad aedes et communites omnium Institutorum. Proinde verba magis ampla et universalia usitata sunt.

59.

CANON 33

§ 1. Moderatores in sodales regendo ad normam proprii iuris particularis assidue incumbant suis officiis.

§ 2. Totis viribus current ut sodales sibi commissi Deum ante omnia quaerant ac diligent, fraternalm inter se communionem colant, proximi dilectionem in mundi salutem et Ecclesiae aedificationem promoveant iuxta propriam vocationem in Christo quem, caritate impulsi, per praxim consiliorum evangelicorum pressius sequuntur.

§ 3. Item nutriant sodales frequenti verbi Dei pabulo, ad sacrae Liturgiae celebrationem adducant, in exercitio virtutum stimulent, in observandis legibus et sanis traditionibus proprii Instituti verbo et exemplo instruant, eorum necessitatibus personalibus convenienter subveniant, infirmos sedulo current ac visitent, corripiant inquietos, consolentur pusillanimos, patientes sint ad omnes.

60.

CANON 34

Moderatores suum proprium et permanens habeant consilium iure particulari constitutum, cuius opera in munere exercendo utantur oportet; in casibus autem a iure praescriptis eius consensum aut consilium exquirere tenentur.

61.

CANON 35

§ 1. Capitula et consilia munus sibi commissum fideliter expleant ad normam iuris communis et particularis atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius Instituti vel communitatis (coetus) participationem et curam exprimant.

§ 2. In his participationis et consultationis formis instituendis servetur iusta discretio, ita ut, attentis uniuscuiusque Instituti indole et fine, apto efficacique regими ab omnibus consulatur.

Nota:

Videndum utrum verbum «communitas» mutari debeat in «coetus» sicut factum est supra pro aliis terminis.

62.

CANON 36

§ 1. Moderatores sodalibus omnibus debitam relinquant libertatem circa Paenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen, salva tamen Instituti disciplina.

§ 2. Subditorum confessiones moderatores ne audiant nisi motu proprio ac sponte sua id petant sodales.

§ 3. Moderatores solliciti sint ad normam iuris particularis ut sodalibus idonei confessarii praesto sint apud quos regulariter confiteri possint, quin tamen ullus sodalis ad confitendum determinato sacerdoti invitus tenetur.

§ 4. Optandum est ut sodales cum fiducia adeant moderatores, quibus etiam animum suum libere ac sponte aperire possunt.

Tit. IV: «DE BONIS TEMPORALIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE ADMINISTRATIONE»

63.

CANON 37

§ 1. Bona temporalia Institutorum perfectionis sunt bona ecclesiastica et reguntur normis iuris patrimonialis generalis Ecclesiae, nisi aliud iure communi vel particulari expresse caveatur.

§ 2. Ob propriam indolem Institutorum, ius particulare definire, coarctare vel excludere potest capacitatem acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia.

64.

CANON 38

Quodlibet Institutum normas aptas statuat de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem fovendam, tuendam et exprimendam.

65.

CANON 39

Moderatores maiores et minores suum habeant oeconomum ad normam iuris particularis constitutum, qui, sub eorum auctoritate, administrationem bonorum gerat.

66.

CANON 40

Iuris particularis est, intra ambitum iuris communis, determinare quinam actus excedant finem et modum ordinariae administrationis.

67.

CANON 41

Tempore et modo a iure particulari statutis, administratores regesta exhibeant et rationem reddant peractae administrationis.

68.

CANON 42

Ad validitatem alienationis, quae valorem a conferentia Episcoporum definitam ad normam can. 34, § 2 (Schematis Coetus: « De iure patrimoniali Ecclesiae » excedat, consensus Apostolicae sedis requiritur.

69.

CANON 43

In testimonium caritatis et paupertatis, Instituta, praescriptis iuris particularis servatis, libenter pro viribus congruas elargitiones et eleemosynas faciant.

Tit. V: « DE ADMISSIONE IN INSTITUTUM »

Nota:

In canonibus Art. Secundi et Art. Tertii huius Tituli, ubi agitur respective « de receptorum institutione » et « de cooptatione in Institutum », quidam termini frequenter occurunt contra quos aliqualis oppositio oriri potest eo quod forsitan nimis sapient legislationem stricte religiosam Codicis vigentis et aliqualem difficultatem afferre pos-

sent pro applicatione in quibusdam Institutis, praesertim Saecularibus. Hi sunt potissimum sequentes: « novitius », « novitiatus », « magister novitiorum ». Consultores Parvi Coetus nimium momentum huic quaestiunculae non tribuerunt et necessarium non duxerunt ullam immutationem introducendi in textum iam antea a Coetu Studiorum approbatum. Si tamen Coetui placuerit rem iterum considerare, cum in hac sessione ex professo de quaestione terminologiae agendum sit, difficultatem non habrem. Ad laborem facilitandum, quando occurrit, ponam inter uncos terminos qui loco forsan expungendorum ponendi erunt. Ita forsan « novitius » vocari posset « receptus » et « novitiatus » « probationis tempus » etc.

70.

CANON 44

In perfectionis Institutum admitti potest quilibet catholicus, qui, vocatione divina praeditus a legitima auctoritate comprobata et congruenter praeparatus, qualitates habeat a iure communi et particulari requisitas.

Articulus 1: « De praeparatione recipiendorum »

71.

CANON 45

Ius admittendi candidatos in Institutum pertinet ad moderatores maiores ad normam iuris particularis.

72.

CANON 46

Moderatores, memores propriae responsabilitatis erga Institutum et Ecclesiam, vigilanti cura eos tantum admittant qui, praeter aetatem requisitam, valetudinem, aptam indolem et sufficietes maturitatis qualitates praebeant necessarias ad vitam Instituti propriam ineundam; quae valetudo, indoles et maturitas comprobentur, adhibitis etiam, si opus fuerit, peritis.

73.

CANON 47

Invalide in Institutum admittitur:

- 1) qui decimum septimum aetatis annum nondum compleverit;
- 2) coniux, durante matrimonio;

- 3) qui vinculo cooptationis cum aliquo Instituto perfectionis actu obstringitur;
- 4) qui occultaverit: *a)* suam admissionem in aliquo Instituto perfectio-nis; *b)* se gravi aere alieno gravatum esse; *c)* se obnoxium esse reddendae rationi iudici vel alii auctoritati legitime inquirenti.

74.

CANON 48

Ius particulare potest alia impedimenta ad validitatem admissionis con-stituere vel conditions apponere.

75.

CANON 49

§ 1. Candidati, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis necnon attestatum status liberi.

§ 2. Moderatores in Institutum ne admittant neophitos vel eos qui ad plenam communionem cum Ecclesia catholica venerunt antequam eorum constantia comprobata fuerit.

§ 3. Ius particulare, pro diversitate adiunctorum, exigere potest alia te-stimonia ex quibus constet de requisita idoneitate candidatorum et de eo-rum immunitate ab impedimentis iuris communis et eiusdem iuris parti-cularis.

§ 4. Moderatores informationes etiam secretas petere possunt, si eis ad hunc finem necessarium vel opportunum visum fuerit.

Articulus 2

76.

CANON 44

Probationis tempus, quo vita in Instituto incipitur, ad hoc ordinatur ut novitii (sodales nuper recepti) vocationem divinam, et quidem Instituti propriam, pressius agnoscant, vivendi modum Instituti experiantur, mente et corde eius spiritu informentur atque ipsorum propositum et idoneitas comprobentur.

77.

CANON 51

Textus iam approbatus

Novitiatus constitutio seu erectio eiusdemque suppressio fiunt per decretum scripto datum Supremi Moderatoris Instituti de consensu eius consilii.

Textus qui nunc proponitur

Probationis canonicae constitutio necnon sedis erectio, si habeatur, atque earum translatio et suppressio fiunt per decretum scripto datum Supremi Moderatoris Instituti de consensu eius consilii.

Notae:

a) Mutatio maioris momenti in praescripto canonis, ubi nunc proponitur, constituitur insertione verbi «translatio», quae necessario hic apparere debet et per oblivionem omissa fuit. Qui nempe novitiatum vel probationis tempus constituere vel erigere et supprimere potest, abs dubio potest illud transferre de loco in locum.

b) Aliae mutationes terminologiam respiciunt. Dicitur: «probationis canonicae» et non «probationis temporis», ut dictum est in can. praecedenti, ad indicandum quod hic agitur de instituto quodam canonico absolute requisito ad ulteriore evolutionem vitae consecratae. Fit etiam distinctio inter «tempus probationis» quod constituitur et «sedem», ubi hoc tempus ordinarie transigitur. Sed additur «si habeatur», quia non omnia Instituta habent sedem propriam, ubi tirones suam probationem vel novitiatum faciunt; ita quaedam Instituta Saecularia.

78.

CANON 52

§ 1. Praeter conditiones quas apponere potest, ius particulare tamquam requisita validitatis definit tam modum et tempus eius initii quam durationem quae unum saltem annum continuum complectatur oportet, salvis praescriptis cann...

§ 2. Scopus autem novitiatus exigit ut sub constanti directione

§ 1. Ius particulare, praeter alias conditiones quas apponere potest, definit requisita ad validitatem quoad tempus novitiatus (probationis canonicae), dummodo eiusdem duratio unum saltem annum continuum complectatur.

§ 2. Scopus autem novitiatus (probationis canonicae) exigit ut

magistri peragatur iuxta rationem institutionis naturae et fini cuiusque Instituti perfectionis adaptatam a iure particulari definientiam.

sub constanti directione magistri peragatur iuxta rationem institutionis naturae et fini cuiusque Instituti adaptatam a iure particulari definientiam.

Notae:

a) Ut legenti clarum apparet, ambae formulationes § 1 huius canonis quoad substantiam identicae sunt. Altera tamen apparet simplicior et magis clara. Non est dubium quin Institututa debeat quaedam statuere ad validitatem quod spectat ad tempus probationis canonicae seu novitiatus. Cum hoc tempus a iure communi requirantur ad validitatem pro valida cooptatione (cf. can. 56, 2º), oportet ut initium bene indicetur et etiam duratio. Consultores tamen Parvi Coetus noluerunt hanc materiam oberare pluribus conditionibus ad validitatem. Quapropter, modus perficiendi tempus canonicum probationis non ponitur a iure communi ad validitatem, sed relinquitur in prudenti arbitrio auctoritatis competentis ipsius Instituti.

b) Ultima propositio § 1 in altera forma incipit per adverbium «dummodo» ut clarum sit conditionem quae sequitur esse ad validitatem.

c) In fine primae formulationis § 1 habebantur verba: «salvis praescriptis cann...» quae in textu deinde approbato omissa sunt. Ad intelligendam apparitionem et omissionem istorum verborum in § 1 huius canonis, oportet dicere Consultores initio voluisse unum vel plures canones formulare ad spatia actuositatis formativae de quibus in Instructione *Renovationis causam*, nn. 23 et ss. explicite admittenda in legislatione communi Ecclesiae. Postea tamen visum est hoc necessarium non esse. Immo Coetui visum est necessarium imponere ut tempus novitiatus contineret unum saltem annum continuum ad fundamentum solidum institutionis ponendum. Hoc minime vetat prorogationem temporis probationis canonicae vel novitiatus ad alium annum vel amplius nec quod perdurante hac prorogatione — etiam in iure particulari definita pro omnibus — possint haberi unum vel plura spatia actuositatis formativae. In § 2 non habentur mutationes praeter illam propositam quoad terminologiam.

79.

CANON 53

§ 1. Novitiorum magister (Receptorum magister) sit sodalis in Institutum definitive cooptatus et legitime designatus iuxta requisita iuris particularis.

§ 2. Novitiatus moderamen (Receptorum moderamen), sub auctoritate moderatorum maiorum, uni magistro reservatur.

§ 3. Magistro, si opus fuerit, cooperatores dari possunt qui in omnibus ei subsint quoad moderamen novitiatus (receptorum) et institutionis rationem.

80.

CANON 54

§ 1. Institutioni novitiorum (receptorum) praeficiantur sodales apte selecti et sedulo praeparati qui aliis oneribus non impediti opus gravissimum pro bono totius Instituti et Ecclesiae fructuose et stabili modo absolvere possint.

§ 2. Magistri eiusque cooperatorum est candidatorum vocationem discernere atque eos gradatim ad vitam perfectionis Instituti propriam rite ducendam efformare iuxta normas a iure particulari statutas.

§ 3. Novitii (recepti) a magistro eiusque cooperatoribus ad virtutes humanas et christianas excolendas adducantur; per humilitatem cordis, caritatis ardorem et suiipsius abnegationem in pleniores perfectionis viam introducantur; in vitae interioris principiis applicandis informentur; ad mysterium salutis contemplandum et Sacras Scripturas legendas et meditandas instruantur; in ratione vitae Deo hominibusque in Christo per consilia evangelica consecratae instituantur; Instituti indolem, finem, spirituositatem, leges atque historiam edoceantur et in vitae modo eiusdem Instituti proprio exerceantur.

§ 4. Novitii (Recepti), propriae responsabilitatis consci, ita cum magistro suo active collaborent ut gratiae divinae vocationis fideliter respondeant.

§ 5. Curent Instituti sodales ut in opere institutionis novitiorum (receptorum) pro parte sua cooperentur vitae exemplo et oratione.

81.

CANON 55

In Institutis quae plures habent sodalium classes, novitiatus (tempus probationis canonicae) pro una classe peractus valet pro altera, nisi iure particulari aliud caveatur.

82.

CANON 56

§ 1. Novitius (Receptus), collatis prudenter consilii; potest Institutum libere deserere; auctoritas autem competens Instituti potest eum dimittere, servato iure particulari.

§ 2. Exacto novitiatu (probationis canonicae tempore), si idoneus iudicetur, novitius (receptus) in Institutum cooptetur, secus dimittatur vel, si

dubium supersit de eius idoneitate, potest a competenti auctoritate Instituti probationis tempus prorogari, non tamen ultra sex menses, ad normam iuris particularis.

Articulus 3: «*De cooptatione in Institutum*»

83.

CANON 57

§ 1. Nemo in institutum cooptetur nisi modo a iure particulari praescripto.

§ 2. Cooptatio secumfert obligationes et iura definita in statutis propriis sub legitima auctoritate servandis.

§ 3. Cooptatione vero Institutum novo titulo curam assumit sodalem in suum finem perducendi iuxta statuta.

84.

CANON 58

§ 1. Cooptatio, exacto novitiatu (tempore probationis canonicae), illico ad tempus definitum fiat quod nec triennio brevius nec novennio longius sit, nisi aliud iure particulari expresse caveatur.

§ 2. Temporaria cooptatione sodales tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae observanda publice assumunt, sive votio sive alio sacro (vinculo) ligamine firmata.

§ 3. Ius tamen particulare permittere potest ut temporaria cooptatione sodalis, loco votorum vel sacrorum ligaminum, Instituto adstringatur alias generis vinculo, cuius natura et vis ab eodem iure adamussim definiatur. Semper tamen sodalis ita cooptatus vitam ducere tenetur iuxta Institutum normas sub auctoritate legitimis moderatoris.

85.

CANON 59

Ad validitatem cooptationis temporariae, praeter conditiones a iure particulari appositas, requiritur:

- 1) decimus saltem octavus aetatis annus completus;

- 2) novitiatus (probationis canonicae tempus) ad normam iuris peractus;
- 3) iudicium de idoneitate iuxta requisita iuris particularis efformatum;
- 4) admissio a competenti moderatore facta.

86.

CANON 60

§ 1. Temporariae cooptationis periodo expleta, qui sponte petat et idoneus iudicetur ad cooptationem definitivam admittatur; secus discedat aut dimittatur.

§ 2. Si vero opportunum videatur vel sodalis id sponte petat, periodus cooptationis temporariae a competenti moderatore prorogari potest, non tamen ultra triennium.

87.

CANON 61

§ 1. Cooptatione sodales, Deo totaliter per consilia evangelica consecrati ideoque eius servitio novo titulo dedicati, Ecclesiae speciali modo coiunguntur, ita ut, Christum pressius sequentes, Regnum eius in mundo impensis promoveant atque gloriam Regni coelestis propria vita praenuntiant.

§ 2. Eadem cooptatione sodales, modo Instituto proprio, servitio Hominum propter Deum se devovent, coetaneos profundius in visceribus Christi praesentes habent atque cum eis cooperantur ut aedificatio terrenae civitatis semper in Domino melius fundetur et mundus Deo plenius consecretur.

Notae:

Canonem hunc attente considerans illumque cum canonibus praeliminaribus generalibus comparans, statim vidi § 1 continere plus minusve repetitionem quorundam conceptuum et etiam quarundam propositionum quae in § 1 canonis primi praeliminaris generalis inveniuntur. Item, § 2 huius canonis plus minusve eadem dicit quae habentur in § 2 canonis quarti praeliminaris generalis. Quapropter, Rev.mis Consultoribus Coetus Studiorum propono ut canon iste e schemate expungatur. Quod si aliqui habeantur conceptus qui servandi considerentur, inseri possunt vel in duos canones indicatos vel alibi.

88.

CANON 62

Per cooptationem definitivam sodales sacro vinculo natura sua perpetuo vitam Deo consecrant et Instituto plene aggregantur.

89.

CANON 63

Ad validitatem cooptationis definitivae, praeter conditions a iure particulari appositas, requiritur:

- 1) vigesimus primus saltem aetatis annus completus;
- 2) praevia cooptatio ad normam can. 58 peracta;
- 3) iudicium de idoneitate iuxta requisita iuris particularis efformatum;
- 4) admissio a competenti moderatore facta.

90.

CANON 64

Cooptati rationem vivendi Instituto propriam, de qua in can.72, ut legem suae vitae et disciplinae assumunt.

Articulus 4: «*De cooptatorum institutione*»

91.

CANON 65

§ 1. In singulis Institutis, post primam cooptationem, sodalium institutione perficiatur ad vitam Instituti propriam plenius ducendam et ad eius missionem aptius prosequendam.

§ 2. Quapropter, ius particulare definire debet huiusmodi institutionis durationem et rationem, attentis Ecclesiae necessitatibus atque hominum temporumque conditionibus prout a fine et indole Instituti exigitur.

§ 3. Hoc tempore sodalibus officia et munera ne committantur quae eorumdem institutionem impediunt.

92.

CANON 66

§ 1. Institutio, sub ductu peritorum consequenda atque capacitati sodalium accommodata, sit doctrinalis simul ac practica iuxta exigentias Instituti, titulis etiam congruentibus pro opportunitate obtentis.

§ 2. Institutio sodalium qui ad ordines destinantur regitur propria Instituti ratione studiorum et iure communi.

93.

CANON 67

Per totam vitam sodales culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo prosequi intendant et moderatores, pro posse, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

Tit. VI: « DE OBLIGATIONIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE SODALIUM »

94.

CANON 68

Praecipuum cuiusvis Instituti officium est suam in Christo et in Ecclesia vocationem agnoscere, indolem suam peculiarem iuxta Fundatorum spiritum fideliter servare propriaque proposita, attentis temporum conditionibus, sedulo prosequi.

95.

CANON 69

Sodales mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse, adeo ut, magis magisque ab iis quae caritatis fervorem minuere possunt liberati, Deo eiusque regno solum vivere teneantur.

96.

CANON 70

Sodales Christi sequelam in Evangelio propositam tamquam supremam vitae regulam habeant.

97.

CANON 71

Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque Instituti vocationem. Sollicite igitur attendant ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret.

98.

CANON 72

§ 1. Quodcumque Institutum, attentis natura et indole propriis, modum quo consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servari debent, in propria vivendi ratione iure particulari definit.

§ 2. Sodales vero omnes debet non solum consilia evangelica fideliter integreque servare sed etiam secundum propria statuta vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

99.

CANON 73

§ 1. Rerum divinarum contemplatio et assiduum cum Deo commercium sodalibus servitio Dei et Ecclesiae consecratis veluti cibus cotidianus esto.

§ 2. Sedulo igitur sodales divinarum Scripturarum lectioni vacent, sacrae Liturgiae celebrationem participant, orationem sive mentalem sive vocalem colant, annua sacri recessus tempora necnon alla exercitia spiritualia servent, ad normam iuris particularis.

100.

CANON 74

§ 1. Sodalibus enixe commendatur ut cotidie sacrificio Eucharistico participant iuxta suam cuiusque conditionem, Sanctissimum Corpus Christi recipientes.

§ 2. Ad Paenitentiae sacramentum frequenter accedant iuxta normas iuris particularis et consilia proprii moderatoris spiritus.

§ 3. Aliis insuper mediis, supernaturalibus et naturalibus, ad vitam spiritualem fovendam aptis utantur sodales tam communibus quam Insti-

tuto propriis; potissimum vero conscientiam suam discutiant, sanctissimum Sacramentum visitent et Deiparam Virginem, etiam mariano rosario, colant.

101.

CANON 75

Sodales fraterna communione, in caritate radicata et fundata, aliis exemplo sint universalis in Christo reconciliationis; pariter in modo sese gerendi mansuetudinem et modestiam Christi commonstrent.

Tit. VII: «DE SEPARATIONE AB INSTITUTO»

Articulus 1: «*De transitu ad aliud Institutum*»

102.

CANON 76

§ 1. Sodalis nequit a proprio ad aliud Institutum perfectionis transire nisi de consensu Supremi Moderatoris utriusque Instituti cum suffragio deliberativo sui cuiusque consilii.

§ 2. Ius autem particulare definiat probationis tempus et modum, qua peracta sodalis ad novam cooptationem admitti potest ad normam statutorum.

§ 3. Qui momento transitus definitive cooptatus erat post peractam probationem definitive cooptetur in novo Instituto; qui vero non erat definitive cooptatus temporaria assumat vincula saltem per triennium duratura.

Nota:

§ 2 huius canonis antea ita scribebatur: «Ius autem particulare definiat probationis tempus et modum, «*quo probatione peracta sodalis ad novam cooptationem admitti potest ad normam statutorum*». Ni fallor, in phrasi litteris cursivis exscripta habentur et error grammatical is et repetitio inutilis. Et hoc est motivum parvae mutationis in textu.

103.

CANON 77

§ 1. Usque ad novam cooptationem, manentibus sacris ligaminibus, iura et obligationes particulares quae sodalis in priori Instituto habebat, suspensa manent; ab incopta tamen probatione sodalis statutis novi Instituti tenetur.

§ 2. Si ad cooptationem non admittatur vel ipsem eam renuat, sodalis ad pristinum Institutum redire tenetur, nisi dispensationem a ligaminibus obtinuerit aut praecedentis cooptationis tempus iam expiraverit.

§ 3. Per cooptationem sodalis novo Instituto incorporatur, cessantibus sacris ligaminibus, iuribus et obligationibus praecedentibus.

Articulus 2: «*De egressu ab Instituto*»

104.

CANON 78

Supremus Instituti Moderator, auditio consilio, gravi de causa, sodali definitive cooptato concedere potest, non tamen ultra triennium, ut ipse, firmis sacris ligaminibus, vitam agat extra Institutum exoneratus ab obligationibus quae cum sua nova vitae conditione componi non possunt. Sodalis huiusmodi sub cura suorum moderatorum manet; caret tamen voce activa et passiva

105.

CANON 79

§ 1. Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, illud derelinquere potest.

§ 2. Qui, perdurante cooptatione temporaria, gravi de causa Institutum derelinquere petit, a Supremo Moderatore de consensu consilii consequi potest indultum definitive ab Instituto discedendi.

Nota:

In fine § 2 huius canonis sequentia verba adiungebantur in praecedenti formulazione canonis: «...discedendi, quo legitime acceptato solvitur a votis vel aliis sacris ligaminibus necnon ab omnibus obligationibus e cooptatione ortis». Cum tamen in can. 81

statuitur norma generalis quae praecise hoc praescribit pro quolibet indulto discedendi ab Instituto, praedicta verba inutilia apparent. Illa proinde e § 2 canonis expunxi.

106.

CANON 80

§ 1. Sodalis definitive cooptatus qui indultum discedendi ab Instituto petit ob causas gravissimas coram Domino perpensas, illud a Supremo Moderatore obtinere potest.

§ 2. Ad indultum de quo in § 1 valide concedendum, Supremus Moderator indiget consensu sui consilii, quod ad casum quinque saltem membris constare debet, ita ut deficientibus vel absentibus ordinariis consiliariis alii ad normam iuris particularis advocentur; consensus huiusmodi suffragio secreto manifestari debet.

107.

CANON 81

Indulta discedendi ab Instituto, in scriptis a sodalibus acceptata, secumferunt ipso iure solutionem a votis vel aliis sacris ligaminibus necnon ab omnibus obligationibus e cooptatione ortis.

Nota:

Ratione claritatis introduxi in hunc canonem verba sequentia: «...ipso iure *solutionem a votis vel aliis* sacris ligaminibus necnom ab *omnibus* (antea habebatur 'aliis') obligationibus e cooptatione ortis». Ita tollitur possibilitas cuiuslibet aequi-vocationis.

108.

CANON 82

§ 1. Sodalis, qui a praescripta communione cum Instituto necnon a potestate moderatorum sese subducit, sollicite ab eisdem moderatoribus quaeratur et adiuvetur ut in sua vocatione perseveret.

§ 2. Quod si intra tempus a iure particulari praescriptum, numquam trimestre brevius, duae monitiones in cassum cesserint vel sodalis non redierit, decreto Supremi Moderatoris de consensu sui consilii ab Instituto dimittatur.

Articulus 3: «*De dimissione ab Instituto*»

109.

CANON 83

§ 1. Sodalis, expleta cooptatione temporaria, si adsint iustae ac rationabiles causae sive ex parte Instituti sive ex parte candidati, a competente moderatore dimitti potest.

§ 2. Etiam infirmitas physica vel mentalis, etsi post cooptationem contracta, propter quam iuxta peritorum iudicium sodalis de quo in § 1 non idoneus ad vitam in Instituto ducendam absque damno proprio vel eiusdem Instituti comperiatur, iustum constituit causam eum dimittendi, servata semper caritate et aequitate.

110.

CANON 84

§ 1. Sodales temporarie cooptati dimitti possunt a Supremo Institutii Moderatoro de consensu sui consilii, salvo iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1) causae dimissionis, sive ex parte Instituti sive ex parte sodalis, sint graves, etsi non necessario culpabiles;

2) si causa sit culpabilis, monitiones scriptae factae fuerint et inutiles evaserint;

3) dimissio non fiat ob infirmam valetudinem, nisi ante cooptationem dolose celata fuerit, vel de peritorum sententia urgeat necessitas dimissionis ad damnum sodali vel Instituto vitandum.

§ 3. Causae dimissionis sodali manifestari debent in scriptis, data eidem plena libertate respondendi. Responsio sodalis, quae pariter in scriptis redigi debet, Supremo Moderatori eiusque consilio submittenda est.

111.

CANON 85

§ 1. Definitive cooptati dimitti possunt decreto Supremi Moderatoris cum consensu consilii de quo in can. 80, § 2, salvo iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

- 1) causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae;
- 2) dimissioni praecesserint, cum formalii comminatione subsecutae dimissionis, duae monitiones canonicae quae in cassum cesserint;
- 3) causae dimissionis sodali manifestatae fuerint, data eidem, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi;
- 4) tempus utile a iure particulari statutum ab ultima monitione elapsum fuerit.

§ 3. Responsiones sodalis, scripto exaratae, alligantur actis quae Supremi Moderatoris eiusque consilii examini submittendae sunt.

112.

CANON 86

Supremus Moderator de consensu sui consilii statim dimittere potest sodalem qui:

- 1) apostasiam, haeresim, schisma publice professus fuerit;
- 2) matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit vel attentaverit;
- 3) culpabiliter causa fuerit imminentis et gravissimi vel exterioris scandali vel erga Institutum damni.

113.

CANON 87

§ 1. Decretum dimissionis ad normam canonum 84, 85, 86 datum quamprimum sodali cuius interest communicetur, data eidem facultate recurrenti intra decem dies ad S. Sedem cum effectu suspensivo.

§ 2. Legitima dimissione ipso facto cessant omnia vincula necnon iura et obligationes ex cooptatione promanantia.

Articulus 4: «*De conditione iuridica separatorum ab Instituto* »

114.

CANON 88

Sodalis in sacris constitutus, e proprio Instituto legitime egressus vel ab eo dimissus, ut sacrum ministerium exercere valeat, a suo vel ab alio Episcopo diocesano admittatur oportet ad normam iuris.

Nota:

Praecedens huius canonis redactio sequentia verba in fine praeseferebat: «Si vero in minoribus ordinibus constitutus sit, ipso facto privatur iuribus et liberatur ab officiis his ordinibus adnexis». Interim tamen promulgata est nova disciplina Ecclesiae circa Primam Tonsuram, Ordines Minores et Subdiaconatum in Ecclesia Latina per Motu Proprio *Ministeria quaedam* diei 15 mensis augusti 1972, qua ordines minores — qua tales — aboli sunt. Quapropter, citata verba canonis nullam amplius applicationem habere possunt et sunt ab eodem expungenda. Et hoc nunc factum est.

115.

CANON 89

Institutum aequitatem et evangelicam caritatem servet erga sodalem qui ab eo separatur necnon congruentem sollicitudinem adhibeat.

116.

CANON 90

De sodalibus qui ab Instituto sunt quomodocumque separati fiat mentione in relatione Sedi Apostolicae mittenda, de qua in can. 31, § 1.

PARS SECUNDA

**«DE IIS QUAE SINGULIS INSTITUTORUM
GENERIBUS SUNT PROPRIA»**

CANONES PRAELIMINARES

117.

CANON 91

§ 1. Per multa in Ecclesia sunt Instituta perfectionis variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim pressius sequuntur vel orantem, vel actuosa operositate hominibus benefacientem, vel cum eis in saeculo conversantem.

§ 2. Fundatorum igitur mens atque proposita circa naturam, finem et indolem Instituti, necnon eius sanae traditiones, ab omnibus servanda sunt.

118.

CANON 92

§ 1. Normae quae respiciunt elementa de quibus in § 2 canonis praecedentis in cuiusvis Instituti codice praecipuo, quocumque nomine veniat, sanciendae sunt, et, prout a competenti Ecclesiae Auctoritate approbatae, absque eiusdem beneplacito mutari nequeunt.

§ 2. Ceterae normae ad Instituti vitam, regimen et disciplinam pertinentes a competenti eiusdem Instituti Auctoritate statuantur et apte colligantur, quae tamen iuxta ius particulare congrue recognosci et aptari possunt.

119.

CANON 93

In his textibus redigendis spiritualia et iuridica opportune uniantur; normae tamen absque necessitate ne multiplicentur.

120.

CANON 94

§ 1. Praeter haec perfectionis Instituta Ecclesia agnoscit vitam eremiticam seu anachoreticam, qua christifideles arctiore a mundo secessu, solitudinis silentio, assidua prece et poenitentia, suam in laudem Dei et mundi salutem vitam consecrant.

§ 2. Eremita uti religiosus iure recognoscitur si tria evangelica consilia, voto firmata, profiteatur et propriam vitae rationem sub ductu Ordinarii loci aut competentis moderatoris religiosi habeat et servet.

Nota:

Ad praecavendas difficultates in § 1 huius canonis addita sunt verba «...seu anachoreticam...» Ita etiam canon concordat cum canonibus secundo et tertio in prima sessione nostri Coetus Studiorum approbatis (cf. Relationem conclusivam primae sessionis, p. 58).¹

¹ Cf. *Communicationes*, XVI, 1984, 239.

Tit. I: « DE INSTITUTIS RELIGIOSIS »

121.

CANON 95

§ 1. In quolibet Instituto religioso tria evangelica consilia in professio-
ne saltem definitiva a sodalibus assumi debent voto publico firmata et vita
fraterna in communi peragenda est ad normam iuris particularis.

§ 2. Testimonium publicum ab his Institutis Christo et Ecclesiae red-
dendum illam secumfert a mundo separationem indoli et fini cuiusque In-
stituti propriam necnon habitum a iure particulari praescriptum qua si-
gnum consecrationis vitae.

122.

CANON 96

Castitatis propter regnum coelorum professio secumfert coelibatus si-
mulac continentiae perfectae observantiam qua caritas erga Deum et uni-
versos homines magis accendatur et manifestetur.

123.

CANON 97

§ 1. Paupertatis propter Christi sequelam professio, praeter vitam in
labore et omnimoda sobrietate ducendam, secumfert plenam in usu et dis-
positione bonorum dependentiam necnon cessionem saltem administratio-
nis proprii patrimonii.

§ 2. Nisi, ad normam iuris particularis, fiat renuntiatio bonorum pa-
trimonialium acquisitorum et acquirendorum, sodales tenentur testamen-
tum condere et, intuitu secuturae professionis, de usu et usufructu suorum
bonorum libere disponere.

§ 3. Quae vero propria industria, stipendio vel pensione a sodalibus
acquiruntur Instituto cedunt.

124.

CANON 98

Oboedientiae ad exemplum Christi professio plenam Deo voluntatis
dedicationem secumfert in submissione moderatoribus, Dei vices gerenti-
bus, praestanda in spiritu fidei et amoris secundum determinationem iuris.

125.

CANON 100

Communitas religiosa habitare debet in domo legitime constituta, quae domus propriam habeat ecclesiam vel oratorium in quibus Eucaristia celebratur et asservatur ut vere sit centrum communitatis.

Caput I: «DE INSTITUTIS MONASTICIS»

126.

CANON 100

Nomine monachi venit religiosus qui, secundum proprias Instituti traditiones, morum conversione vitam vel anachoreticam vel coenobiticam dicit in opere Dei et in labore, ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat.

Instituti monastici nomine vennit institutum religiosum cuius sodales, secundum proprias eiusdem Instituti traditiones, morum conversione vitam vel anachoreticam vel coenobiticam ducunt in Dei opere et labore, ut solum Deum Eiusque Regnum rerum divinarum contemplatione et caritate apostolica quaerant.

Notae:

a) Iam plures notavi vicissitudines quas secunda pars Schematis Generalis habuit perdurantibus laboribus nostri Coetus studiorum. Haec materia «De Institutis monasticis», sicut aliae, plures habuit mutationes. Quando in Relatione Introductiva Decima Prima proponebam canones quae respiciunt Instituta monastica (cf. Relationem Conclusivam XIII, Adnexum I, nn. 9-26),¹ iste canon introductivus totius tractationis non habebatur.

b) Perdurante tamen discussione quoad schema canonum a me Consultoribus Coeti Studiorum praesentatum, quaestio de praemittendo canone duobus Articulis qui hoc Caput nunc constituunt orta est (cf. Relationem Conclusivam XIII, pp. 12-16).² Canon tamen qui occasionem dederat huic discussioni fuit canon secundus in prima sessione nostri Coetus approbatus; textus § 1 huius canonis ita sonat «Nomine monachi venit religiosus qui, secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelico-

¹ Cf. *Communicationes*, XXVII, 1995, 243-257.

² Cf. *ibidem*, 220-223.

rum traditas, morum conversione vitam vel anachoreticam vel coenobiticam dicit in opere Dei et in labore, ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat». Ut appareat ex textu in latere sinistro posito supra, definitio monachi in prima sessione approbata fere ad verbum acceptata fuit.

c) Consultores tamen tunc obliti sunt quod titulus habebat tamquam rubricam propriam: «*De Institutis monasticis*». Definitio autem monachi tamquam canon introductivus totius tractationis: «*De Institutis monasticis*» vix idonea appetet. Quapropter, Consultores Parvi Coetus decreverunt opportunum mutare notionem monachi in hac parte in illam Instituti monastici. Et pro hac notione efformanda adhibuerunt verba iam usitata ad definitionem monachi faciendam, sicuti appetet ex textu adoptato, qui in parte dextera supra inscribitur.

Articulus 1: «*De monachis*»

127.

CANON 101

Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium intra septa monasterii praestare.

128.

CANON 102

§ 1. Instituta monastica quae integre ad contemplationem ordinantur praeclararunt in Christi Corpore mystico partem semper retinent et Ecclesiam arcana foecunditate ditant; ideo quantumvis actuosi apostolatus urget necessitas, in suo statu firmiter permaneant.

§ 2. Instituta autem quae aliqua apostolatus vel christiana caritatis opera legitime assumpserint, iis tantum incumbant quae vitae monasticae indoli consentanea sint.

§ 3. Instituta monastica per se nec clericalia nec laicalia sunt.

129.

CANON 103

§ 1. Domus religiosa monachorum sub proprii moderatoris regimine et cura, quae monasterium appellatur, est de se sui iuris, servato tamen iure particulari.

§ 2. Monasterii sui iuris moderator, qui plerumque nomine Abbatis venit, est de iure moderator maior.

130.

CANON 104

§ 1. Monasteria eiusdem familiae monasticae in foederationes, hae vero in confoederationem, uniri possunt cum beneplacito Apostolicae Sedis.

§ 2. Quaelibet foederatio aut confoederatio proprio regitur iure, salva tamen semper monasteriorum autonomia.

131.

CANON 105

Instituta propriam de sodalium tam monastica quam sacerdotali institutione rationem habeant iure particulari statutam.

132.

CANON 106

§ 1. 1º Transitus a monasterio ad aliud eiusdem familiae monasticae vel regulae fieri potest de consensu utriusquer moderatoris cum voto deliberativo capituli monasterii recipientis, salvo semper iure particulari.

2º professio tamen monastica non iteratur, nisi aliud iure particulari expresse caveatur.

§ 2. Ceteri transitus iure communi reguntur.

Articulus 2: «*De monialibus*»

133.

CANON 107

§ 1. Moniales, illustrior portio gregis Christi, in iure veniunt quae ex instituto vitae contemplative dedicantur.

§ 2. Quae sunt de monachis statuta pari iure monialibus applicantur.

134.

CANON 108

Monasteria monialium cuidam virorum Ordini consociata vitae rationem et regimen proprium iuxta sua statuta obtinent. Expedit tamen ut ab Ordine cui consociantur spirituali cura adiumentur ad propriam vocacionem prosequendam.

Nota:

Cum in nostro Schemate canonum nullibi, excepto hoc canone, mentio facta sit de Ordinibus aut de Congregationibus religiosis, sed semper sermo fit de Institutis religiosis, forsitan erit melius, etiam in hoc canone, loqui de «Instituto» et non de Ordine, etsi verum remaneat monasteria monialium Ordinibus et non Congregationibus consociari.

135.

CANON 109

§ 1. Clausura papalis in monasteriis monialium quae unice vitae contemplativae vacant servanda est.

§ 2. Statuta clausuram papalem spectantia a iure particulari determinata a Sede Apostolica probanda sunt.

§ 3. Cetera monasteria clausuram propriae indoli accommodatam et iure particulari definitam servent.

Caput II: «DE INSTITUTIS OPERIBUS APOSTOLATUS DEDITIS»

136.

Canon 110

§ 1. In Institutis operibus apostolatus deditis actio apostolica ad ipsam eorumdem naturam pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu Instituti informetur.

§ 2. Actio apostolica ex intima cum Deo unione semper procedat eamdemque confirmet ac foveat.

§ 3. Actio apostolica, nomine et mandato Ecclesiae exercenda, in communione ecclesiali peragatur.

137.

CANON 111

Opera propria Institutorum fideliter retineantur atque temporum et locorum necessitatibus accomodentur, novis et opportunis etiam mediis adhibitis.

138.

CANON 112

§ 1. Vi propriae vocationis, Instituta operibus apostolatus dedita eorumque sodales, sub ductu priorum moderatorum, ad bonum Ecclesiae adlaborare et Episcopos adiuvare tenentur.

§ 2. Episcopi et moderatores, sive singuli sive in coetibus coadunati, collatis inter se consiliis procedant in ordinandis operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur.

139.

CANON 113

§ 1. Instituta ius habent opera propria exercendi, servatis de iure servandis.

§ 2. Conventiones particulares ad collaborationem ordinandam et fovendam, Episcopi et moderatores pro opportunitate ineant.

Articulus 1: «De Institutis canonicalibus»

140.

CANON 114

§ 1. Instituta canonicalia sollemniori praecipue cultu laudem divinam agunt atque operibus apostolicis incumbunt sacerdotale officium praesertim in paroeciis exercendo.

§ 2. Ad vitam regularem fovendam eis pro posse paroeciae concredantur quae inter se vel domui principali viciniores sint.

141.

CANON 115

Congregari possunt sub eodem Praeside plura Capitula canonicorum regularium sui iuris; confoederari autem possunt sub Abbatе Primate plura eiusdem generis canonicorum Instituta cum beneplacito apostolico.

Articulus 2: «De Institutis conventionalibus»

142.

CANON 116

§ 1. Instituta conventionalia laudi divinae et regularibus observantiis vitam apostolicam intime consociant atque peculiare austерitatis vitae testimonium praestant.

§ 2. Vitam fraternalm in communi sodales agunt, praesertim in celebratione Eucharistiae et liturgiae horarum, necnon ministerium apostolicum communi studio et sollicitudine prosequuntur.

143.

CANON 117

§ 1. Speciali cura adiuvent Instituta sibi consociata ut genuino spiritu suae familiae imbuantur.

§ 2. Per proprium apostolatum sodales spiritum Instituti inter christifideles diffundunt praesertim per suas associationes.

Articulus 3: «De Institutis apostolicis»

144.

CANON 118

§ 1. Instituta apostolica, ad propria ministeria exercenda primario condita, totam suam vivendi rationem ita ordinant ut sodales vitam apostolatui integre deditam agere valeant.

§ 2. Ad mobilitatem apostolicam et sodalium disponibilitatem fo-vendam, ea unitas servetur qua Institutum sub ductu Moderatoris Supremi ad normam iuris particularis in operibus propriis peragendis expeditum maneat.

145.

CANON 119

§ 1. Clericalia Instituta ministeria sua in sacro ordine exercendo fi-deliter adimpleant; alia autem opera apostolica, nisi sint Instituto pro-

pria, deficientibus sacris Ecclesiae ministris, aliis idoneis quoque laicis committantur.

§ 2. Sodales laici, in his Institutis, vi professionis suaे, speciali titulo commune fidelium sacerdotium exercentes cum clericis collaborando, ea prae ceteris assumant officia quae hanc collaborationem foveant.

146.

CANON 120

Laicalia Instituta, tum virorum tum mulierum, per misericordiae opera spiritualia et corporalia munus pastorale Ecclesiae adimplent hominibusque diversissima praestant servitia; quare in sua vocationis gratia fideliter permaneant.

Tit. II: « DE INSTITUTIS VITAE APOSTOLICAE CONSOCIATAE »

147.

CANON 121

Instituta vitae apostolicae consociatae, sive sacerdotalia sive laicalia, quae religiosa non sunt, suum finem apostolicum per vinculum fraternitatis sustinent atque secundum propriam vitae rationem consilia evangelica aliquo sacro vinculo firmata assumunt.

148.

CANON 122

Vita fraterna ita ordinata sit ut activitatem apostolicam praeparet et constanter foveat atque adiuvet.

149.

CANON 123

Statuta personalem conditionem sodalium circa bona temporalia definiunt et accommodatas normas statuant quae eorum usum moderentur, attenta in fraternitate aequalitate sodalium.

150.

CANON 124

§ 1. Ordinariis locorum sodales reverentiam et oboedientiam praestent in his quae activitatem apostolicam spectant, salvis semper indole Instituti et subiectione erga proprios moderatores.

(§ 2. Sodales, etsi ad normam iuris particularis incardinationem in aliqua dioecesi habere possint, moderatoribus Instituti submissi manent atque munera in Instituto commissa assumere tenentur).

Nota:

§ 2 huius canonis inter uncos posita est quia in sessione decima quinta nostri Coetus studiorum norma haec discussa non fuit. Suggestente nempe Em.mo Card. Praeside, examen huius paragraphi procrastinatum fuit usquedum quæstiones circa incardinationem solutæ fuerint a Coetu Studiorum: «De Sacra Hierarchia». Norma tamen hic inscripta fuit ut tempore opportuno præ manibus haberi poterit (cf. Relationem Conclusivam XV, p. 23).¹

Tit. III: «DE INSTITUTIS SAECULARIBUS»

151.

CANON 125

§ 1. Institutæ saecularia, per assumptionem trium consiliorum evangelicorum aliquo sacro vinculo firmatam, veram et propriam formam vitae consecratae in Ecclesia constituant.

§ 2. Sodales, qui in saeculo et ex saeculo actuositatem apostolicam exprimunt et exercent, vitae temporalis rationem christifidelibus communem servant et, ad instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuere satagunt.

152.

CANON 125

§ 1. Haec Institutæ lege vitae communis non tenentur nec signa externa consecrationis habent sodales.

¹ Cf. *supra*, pp. 95-96.

§ 2. Statuta cuiusque Instituti, attentis peculiari eorum vivendi ratione necnon saecularitate eis propria, observantiam consiliorum evangelicorum apte determinent et eorum sensum et obligationes definiant.

153.

CANON 127

§ 1. Instituta saecularia sunt clericalia vel laicalia.

§ 2. Sodales clerici horum Institutorum, qui ante cooptationem definitivam in aliqua dioecesi incardinationem habebant, eam retinent et dependentiam in apostolatu exercendo a proprio Ordinario loci servant; de ceteris vero clericis his Institutis inscriptis provideat ius particulare.

Romae, in festo S. Marci Evangelistae, 25 mensis Aprilis 1974.

P. MARCUS SAID, O.P.

Relator

